

stil  
logia  
ra

42





S. c. 236

Bo Lu


Th. Q. v. 704. 696.













2  
VERA ET SINCERA  
ENARRATIO

*Gestorum & Dictatorum, in nu-  
perâ Concertatione*

JUSSU CELSISSIMI ET  
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS  
JOHANNIS FRANCISCI,  
NASSOVIAE PRINCIPIS, &c.

Inter Doctorem STEINBERGIUM, & Patrem  
CONRADUM REIDT, Jesuitam, Colle-  
gii Sigenensis Rectorem, habitâ, de  
judice Controversiarum

Vice APOLOGIÆ

*Ad confutationem impudentissimarum, id est, Jesuiticarum artium;  
& thraonismorum Satyricorum è publico suggestu equè ac clan-  
culariis & infamibus chartulis, in Doctorem Steinbergium con-  
jectorum.*

*Accedit ad calcem brevis & solida istius Controversie E-  
nucleatio, tam ad ruinosum totius Religionis Papalis  
fundamentum ritè oculis omnium exponendum, quàm  
ad occurrendum omnibus Responsionibus, effugiis & so-  
phismatibus Adversariorum.*

Edente

NICOLAO RIVIO BELGA

Nomine Reliquorum omnium Doctoris STEIN-  
BERGII discipulorum.

---

ALETHOPOLI

Typis EUSEBII VERINI, Typographi.





NOBILISSIMO, ET  
STRENUO VIRO

*Virtutibus Martiis & Civilibus Incluto*

DOMINO, DOMINO JOH. WOLFGANGO  
à SEELBACH, *Quadfasel*, cognominato,  
&c. Splendido & Supremo in Princi-  
patu Sigenensi ExPræfecto &c.

**A**D Te tendit, Vir Nobilissime, nec aliò tutius  
aut debet, aut potest hæc Veritatis nuda Enar-  
ratio & Assertio, Asylum & Patrocinium peti-  
tura. Tu enim huic præmeditata à parte ad-  
versariâ velitationi, aliqua, licet inscius & occulto Jesuita-  
rum astu, causa extitisti. Tu spectator imparis Luctato-  
rum Paris, Retiarii cum mirmillone unus ferè, juxta sal-  
tem cum Experientissimo & Clarissimo D. Doctore ac  
Professore Cnopio, fuisti: Tu bonum Jesuitam æquè ἀπεί-  
λαστον ac illiteratum, vidisti æstuantem ac sudantem; vidi-  
sti omnium rationum, omnium distinctionum, omnium  
denique propriæ Theologiæ fundamentorum expertissi-  
mum, se solâ & arcadicâ voce *Nego, nego*, more reorum &  
fontium in tortura, mortis supplicium metuentium, ser-  
vare laborantem; vidisti denique in negatâ à se majoris  
propositionis defensione vadimonium deferentem, &  
novæ propositionis, quæ secunda fuerat in primo argu-  
mento probationem, postulantem, id est, vidisti in Effugio  
mani-



manifestissimo & propudiosissimo ad extremas incitas  
reductum. Vidisti denique in agone adeò agonizantem  
& animo ac animæ rationalis functionibus destitutum,  
perturbatum & desperantem, ut Andabaticâ cœcutientiâ  
hanc Consequentiam præ quâ lux meridiana clara aut  
clarior non, est inficiantem; scil. *Si omne illud Dei consilium  
à D. Paulo revelatum Act. 20. est idem quod omnis Dei voluntas,  
sequitur omnem Dei voluntatem esse revelatam;* prout & sco-  
toma illud visibile prostat Artic. XV. & XVI.  
Sed etsi, Vir Nobilissime, Te veritas hîc asserita, ut  
Spectatorem & Testem non compellaret, ad Te tamen  
se reciperet, ut strenuum æquè ac splendidum illius As-  
sertorem, ut Romanarum Artium, Tyrannidis Antichri-  
stianæ, Religionis Idololatricæ & cauponatorix, in meris  
hominum mandatis & traditionibus, suppresso planè sub  
Modio Verbi Divini Lumine, Cultum Dei unicè erigen-  
tis, æquè peritissimum Cognitorem ac Osorem & Impu-  
gnatorem generosissimum; qui hæreditariâ pietate & cœ-  
lesti munere, Arcam DEI in nobilissimos Tuos Lares, id  
est, purum DEI fœdus ac salutare Verbum in Ædes tuas,  
& in Cordis præsertim Sacrarium ita recepisti, ut nulla  
adhuc hætenus per DEI gratiam Sirenum seducentium  
illicia, nulla mundi pollicitamenta, animum Tuum de se-  
de & statione suâ salutari, vel latum digitum, dimovere  
valuerint. Hæc sanè animi cœlestis Constantia, illa est  
è cumulo Virtutum Tuarum quam isto opportunitatis  
articulo attingimus, quam admiramur, & suspicimus,  
Deum venerati ex animo ut illam in generosam tuam  
& feram posteritatem, natorum natos usque & usque de-  
rivare dignetur. Tuas enim dotes & virtutes reliquas, si-  
lento hîc malumus transvehere, quàm exiguitate styli

);( B.



nostri deterere. Sufficiat Te Martiam tuam indolem  
jam olim variis, etiam Magnatibus & Principibus appro-  
basse; Civiles verò tuas Virtutes & agnitas fuisse, & emi-  
cuisse in delato Tibi Splendido Supremæ in Principatu  
Sigenensi Præfecturæ munere. Illas omnes dum fama,  
& quicunq; Te domi non ignorant affatim deprædi-  
cant, supervacaneum foret nostrum in hanc rem præco-  
nium, cujus loco malumus impræsentiarum ardentia no-  
stra substituere ad DEUM supplicia, ut faventes suos ma-  
gis ac magis è cælo nutus in Te, Tuos, Nobilissimam-  
que omnem tuam familiam derivare dignetur. Ita vo-  
vent, ita optant

Strenuæ & Nobilissimæ Tuæ Domi-  
nationis humillimi Clientes

DOCTORIS STEINBERGII,  
AUDITORES.





**D**ie Jovis <sup>7</sup>/<sub>17</sub> Februarii, 1661, in Arce Sigenensi Actum, præsentate Celsissimo & Illustrissimo Principe, unà cum Celsissimâ & Illustrissimâ Conjuge, deinde Prænobili Viro à Seelbach; Dn. Cnopio Medicinæ Doctore & Professore, Domino Andrea Appelio, & me Johan. Henrico Weller, inter Dominum Doctorem *Steinberg* ex una parte, & Dominum Patrem *Conradum Reid* ex altera.

I. *Catholicus Reformatus.*

**I**n fortuito occurſu & colloquio de rebus & articulis nonnullis inter Reformatos & Pontificios controvertiſolis, ſuſcepta eſt amica confabulatio inter Dominum Doctorem *Steinberg*, Doctorem & Profefſorē SS. Theologiæ *Herbornenſem*, & inter R. P. *Conradum Reid* Soc. Jeſu, Collegii *Sigenenſis* Rectorem, ex petitione ſcilicet Celsiſſimi & Illuſtriſſimi Principis *Johannis Franciſci*, *Naffoviæ* Principis &c. cui morem gerere proteſtatur Doct̄or *Steinbergius*, ſolummodò ut obſequium ſuum

A



2

Celssimo Principi attestaretur, ne ista concertatio animo aliquo disputatorio aut thraconicâ provocatione ini-  
ta credatur. Ita Doctor Steinbergius.

I. Jesuita.

**E**Go invitatus ad hoc Colloquium à Celssimo & Illu-  
strissimo Principe nostro Joh. Francisco &c. non aliâ  
intentione compareo, quàm ut Religionis Catholicæ fi-  
lium me profitear, pro qua propugnanda ingenium & vi-  
res quantumve tenues impendere sum paratus, Primò i-  
gitur in gratiam Celssimi Principis nostri, in familiari  
Colloquio, absq; Præjudicio Religionis Catholicæ, fidei  
Catholicæ articulos per modum defendentis, & possessi-  
onem antiquam obtinentis, defendendos assumo. Dein-  
dè si per Ignorantiam meam vel oblivionem aliquid re-  
pugnans Catholicæ Religioni proposuero, id à me dictum  
nolo, & omnia Judicio & Censuræ Ecclesiæ Catholicæ  
submitto. Tertiò antè omnia Judicem Colloquii nostri  
à Domino Doctore assignari peto.

*Meritò hic metuit ignorantia sue bonus Parens. Frustra verò refor-  
midat oblivionem; cum non facile sit oblivisci eorum quæ ignoravit,  
& quæ nunquam scivit, ut apparebit ex sequentibus, & maximè ac  
luculentius si audeat invitare D. Doctorem ad solemne & publicum  
illud in Curia Sigenensi Examen, ad quod se obtulit in præfatione.*

II. Catholicus Reformatus.

Nec Doctor Steinbergius aliâ intentione suscipit  
hoc Colloquium, quàm ut veræ Religionis, quæ in Scri-  
ptis Prophetis & Apostolicis continetur, & quo respe-  
ctu Religio nostra antiquissima est, Veritatem Orthodo-  
xam in arce sua tueatur.

*Primò uel a se, Judicem Controversiarum fidei non  
esse*



esse Ecclesiam asferit. Deinde *ut rā dēon*, ponit Judicem,  
Deum loquentem in S. Scripturis.

II. *Jesuita.*

Exindè Catholicus de antiquitatè Religionis nullo modo admittit de Religione Reformata hoc dici posse, sed dicit Catholicam Romanam Religionem in possessione esse per sedecim secula; de *Ecclesia Judice Controversiarum assignanda, differemus*. Transeat ex fundamento Reformatorum solam Scripturam S. S. esse Judicem Controversiarum, sed quæro, an omnes Controversias D. Doctor decidere velit claris verbis Scripturæ, an explicationes humanas simul admittere.

*Notet & sciat hic Lector, quod D. Steinbergius provocatus à limine ad Questionem de Judice Controversiarum, lubens arripuerit illam, se ad Celsissimum ibi presentem Principem his verbis convertens. Jam demonstrabo Celsitudini Vestrae, quàm ruinoso & deplorando fundamento innitatur tota Religio quam vocatis Catholicam, dum tota Vestra fides recumbit & fundatur in Ecclesia. Ostendam enim jam Celsitudini Vestrae, & suscipiam probare, Primò, quòd nesciant ipsimet Pontificii, quid hinc per Ecclesiam debeant intelligere, licet intelligant Ecclesiam Romanam. Secundò, Ostendam palpabiliter, nihil ineptius esse, quàm ut Ecclesia Romana se velit constituere Judicem Controversiarum quas habet nobiscum & adversariis Ecclesiis, ipsà longè antiquioribus & sanioribus. Tertio, Ostendam quòd dum per Ecclesiam Romanam Jesuitæ Gnathones Papa, Papam ipsum intelligunt ut infallibilem, alii è contrario, ut Sorbona, subjiciant Papam Concilio, ita ut à Judicio Papa tanquam fallibili, ad Concilium possit & debeat provocari. Quarto potissimum probabo, quòd neq; Papa neq; Concilia ullò infallibilitatis dono gaudeant. Imò offero ex Bibliotheca Jesuitarum hujus loci, & ex tempore probare, decem ad minimum Papas pro hereticis agnosci à Præstantissimis Doctoribus Pontificiis. Deindè specialiter demonstrare volo, ineptum fundamentum totius Religionis Romanae, quod est hoc, Papam ut*



Papam non errare, sed ut hominem; dum nempè evincam, Papam in docendo, & controversias decidendo Papali authoritate, errasse. Imò addebat Doctor Steinbergius ad Principem, nonne foret plus quam Diabolica Papæ malitia, si, certus se non posse errare ut Papam, non se tamen prius consuleret ut Papam, quò sic ab errore in rebus fidei semper immunis foret. Quintò, Deniq<sub>3</sub> offerebat probare, Concilia nulla esse infallibilia.

Provocamus ad testimonium Celsissimi Principis adhuc in vivis per Dei gratiam, & generosi adeò, ut mendacii dicam nullam in ullo horum punctorum sit D. Doctori Steinbergio impacturus.

Imò ardentè avebat Celsiff. Princeps illius Controversiæ examen: sed bonus Pater in hac Controversiâ æq<sub>3</sub> ac in omnibus aliis non Pater, sed plus quam infans, nullis omninò machinis adduci potuit, ut hanc attingeret chordam. Undè post multas & longas contestationes hæc verba dictavit, Artic. II. De Ecclesiâ Judice Controversiarum assignandâ differemus.

NOTA BENE.

Sed desines mirari Lector justam formidinem boni & ignorantissimi Patris, quando tibi innotuerit notabilissimum specimen crassissime & stupendæ ignorantie statim in ipso statu Controversiæ & principis Theologiæ Pontificiæ, quod jam tibi exhibebimus, & quod diu multumq<sub>3</sub> protestatus & obtestatus est Doctor Steinbergius, ut scriptim consignaretur, sed cum Scriba esset Pontificius, & Celsissimus Princeps Director Colloquii, nullis omninò protestationibus obtinere potuit, ut in acta Colloquii referretur. Provocat autem Doctor Steinbergius ad Celsissimum Principem - an res se non ita habuerit, & annon ita Patrem allocutus sit? In hæc Quæstione de Judice Controversiarum siquidem Pontificii non conveniunt, quid per Ecclesiam debeant intelligere, quæro quid Dominus Pater intelligat hîc per Ecclesiam? Diu noluit respondere, sed Principis tamen nutibus & tacitis jussibus, dixit, se intelligere per Ecclesiam caput & membra. Quæsitus quid per Caput intelligeret, an Papam? respondit, quòd sic; quid ergò per membra? respondit se intelligere omnes fideles, Jussit statim Doctor Steinbergius in Protocolium illud referri.

Sed adeò horribili, adeò Diabolicâ, uno verbo, adeò Jesuiticâ impudentiâ fuit,



5  
ria fuit, ut statim in flagranti dicto & facto ausus sit coram omnibus negare, se illud dixisse. Erubescerat profecto Celsissimus Princeps Jesuita causâ, maximè cum Doctor Steinbergius urgeret hoc pacto mendacium toti Consortio impingi.

Cum ergo Celsissimus Princeps nollet illam responsionem Jesuita scribi, diceretq; illud non pertinere ad essentiam rei, fuisse tantum aliquod incidens, & extra materiam, coactus fuit D. Doctor cedere superiori.

Obtulit tamen statim probare illos quinq; jam memoratos, & positos Articulos, de Ecclesia Romana, Judice Controversiarum, sed noster bonus & ignarus Jesuita domi esse nolebat.

Testatus est pariter Doctor Steinbergius suam statim admirationem erga Celsissimum Principem, quare tam rudem & inexercitatum hominem sibi opponeret. Celsitudinem ipsius exiguam aut nullam planè animi voluptatem percepturam ex tam impari congressu Troili cum Achille. Non dissitebitur ipse bonus Pater, id vicenis vicibus & amplius ingestum fuisse à Doctore Steinbergio.

### III. Catholicus Reformatus.

Nos Reformatam Religionem profitentes, ideò è Communione Romana segregavimus nos, quia humanas explicationes & traditiones non admittimus. Dein jam categoricè ad rem, respondemus; Omnia omninò dogmata necessaria ad salutem, debere & posse decidi ex Sacrà Scriptura; non tamen ut somniaverimus, Dei Verbum demùm esse illud quod in meris syllabis externis contineatur, sed potissimùm & sæpè in ipsomet sensu, pro ut & totidem sæpissimè verbis continetur.

### III. Jesuita.

Si non secundum litteram sed sensum Scripturâ sit judicandum, quæro, quis de sensu judicabit?

### IV. Catholicus Reformatus.

Respondetur; Ille judicaturus est, tanquam Judex.



Ministerialis & secundarius, ille idem qui potest judicare de sensu Traditionum Romanarum, id est, Judex Principalis & Normalis est SS. Scriptura, Judices secundarii & Discretivi sunt omnes fideles & Pastores, qui essentialia dogmata clarè in Scripturâ proposita facile possunt colligere. Nunquam enim somniavimus quemlibet secundarium esse supremum, sed Discretivum demum asserimus, quatenus DEUS dedit Verbum suum hominibus non brutis.

*IV. Jesuita.*

Hæc est petitio principii, est enim in quæstione, an Scriptura sit Judex, manet Quæstio, an secundum literam vel sensum, sive ea Normalis sit sive Discretiva. *Secundo*, secundum Responsum Domini Doctoris quilibet Catholicus sacerdos, & Reformatus Minister erit Judex Discretivus, quis utrumq; discernet?

*Nota hic & mirare queso hominis perturbati & planè tremebundi confusa & inania sine sensu omnia verba; sive, Psittaci apud Persium sine mente sonos. Quid queso sibi vult istud, Est petitio principii. Doctor Steinbergius nullum adhuc Argumentum, nullam probationem ad huc instituerat, sed nudam sententiam Reformatorum proposuerat. Quis verò ad nudam Propositionem unquam attendit responderi, Est petitio principii, Novit enim quilibet tyrannulus sophisma τὸ ἐν ἀρχῇ sive petitionem principii esse quando idem probatur per idem, ut v. gr. quando probant Pontificii Ecclesiam Romanam esse infallibilem, quia dicit se esse infallibilem.*

*V. Reformatus Catholicus.*

Jam dixi, Judicem Normalem esse solam S. Scripturam & quemlibet fidelem posse esse Judicem discernentem.

*V. Jesuita.*

Si sola Scriptura sit Judex Controversiarum peto proba-



7  
probari Articulus ex S. Scriptura inter nos controversi  
solitos, *primò* quidem de Articulis Catholicorum quos  
Reformati non admittunt quod ullus illorum sit contra  
clara verba Scripturæ, *deindè* peto probari Articulus Re-  
formatorum ex claris Scripturæ verbis, quos contra Ca-  
tholicam Religionem docent, & in specie si placet ad rem  
venire, Articulus Catholicus est, quod verum & substan-  
tiale corpus Christi sit realiter & verè præsens in Sacra-  
mento Eucharistiæ in Catholica Romana Ecclesia, peto  
ex SS. Scriptura contrarium Textum claris verbis afferri,  
qui præsentiam realem Corporis Domini apertè neget.

*Observe queso Lector quomodo miser & pavibundus Jesuitaster, post-  
quàm pudendum in modum primam Controversia partem de Eccle-  
siâ Judice Controversiarum repudiavit, vadimonium deserere velit  
quoad alteram partem, an S. Scriptura sit supremus & Normalis Ju-  
dex Controversiarum. Vult enim ut vides evadere & ad particulares  
questiones descendere, cum tamen ut patet ex Articulo I. circa finem  
Jesuita provocet Dominum Doctorem ad Judicem Controversiarum.*

*V I. Reformatus Catholicus.*

Repono, Dominum patrem fugere, & deserere suam  
causam, dùm non respondet ad meam priorem asertio-  
nem, quæ continet principalem controversiam inter nos  
& pontificios; scil. solam Sacram Scripturam esse nor-  
mam omnium Controversiarum, ut facile sit ex eâ cuili-  
bet fidei in essentialibus articulis, qui pauci sunt, determi-  
nare quid credendum sit.

*V I. Jesuita.*

Quod non subterfugiam, patet ex articulo particu-  
lari proposito de præsentia Christi in venerabili sacra-  
mento, quem peto claris Scripturæ verbis ex mente Re-  
formatorum refutari, si sola Scriptura debeat judicare.



VII. *Catholicus Reformatus.*

Ex hac ipsâ Responsione patet, D. Patrem nihil respondere ad quæstionem, an Scriptura sit iudex sufficiens & normalis: nam si forte implicite respondet negative, quasi non possemus refutare transubstantiationem, duo respondeo, *primò*, me velle probare argumento Categorico, ipsam Scripturam Iudicem esse, scil. normalem, non tantum in hoc puncto decidendo, sed etiam Iudicem normalem in omnibus aliis articulis decidendis fidei necessariis. *Secundò*, si placet instituere specialem Disputationem de transubstantiatione, me pariter argumentis Categoricis evicturum, nullam transubstantiationem, saltem putativam qualis in Papatu creditur, in Scriptura fundari.

VII. *Jesuita.*

Auditis promissionibus, si scriptura ex mente Reformatorum sit Iudex omnium Controversiarum, fiat experimentum in articulo proposito de præsentia Christi in Eucharistia, contrariam Réformatorum doctrinam, peto claris verbis ex S. Scriptura probari, de transubstantiatione nulla adhuc facta mentio, sed differtur ad aliam quæstionem, non enim hic quæritur de modo præsentia, sed de substantia & realitate: Cum autem Dominus Doctor ad particularem articulum descendere nolit, & si placet proseguere de Iudice Controversiarum probetur claris verbis scripturæ, scripturam solam esse Iudicem controversiarum.

*Scire debet Lector, mirum esse, quomodo & quamdiu cunctatus sit bonus Pater, donec ad quæstionem de scriptura Iudice controversiarum devenire voluerit, infirmitatis & ignorantia sue, quam statim ab initio professus est, conscius, donec crebris pudendi metus exprobrationibus à Doctore Steinbergio stimulatus, accedente Celsiss. Principis jussu, in fine hujus articuli permittit, ut argumentum formetur.*

VIII. *Re-*



VIII. *Reformatus Catholicus.*

Id, quod solum est infallibile, & plenam Dei voluntatem continet, illud est sufficiens norma, (sive *Judex normalis*) decidendarum Controversiarum. Atqui S. Scriptura talis est. Ergo &c.

VIII. *Jesuita.*

Primò, non inferitur propositio, quod sola scriptura sit *Judex controversiarum*.

Secundò nego majorem, minorem reservo.

*Observet Lector, an id, quod Dominus Doctor ab initio posuit, scil. S. Scripturam esse Judicem normalem sufficientem, non inferatur?*

*Deindè, nonnè miserè sibi contradicit bonus Pater, quando negat tamen majorem. Si enim non inferatur quod probandum erat, non debebat assumi argumentum, prout notum est omni tyrunculo.*

*Notet porrò Lector, D. Doctorem Steinbergium miratum esse, & monuisse statim stuporem Jesuitæ, qui debebat negasse ex principiis Religionis Pontificiæ minorem propositionem, quæ ponit, totam Dei voluntatem contineri in Scriptura.*

*Pontificiæ enim omnes disertè & unice hoc negant, quòd voluntas Dei tota contineatur in scriptura, quia ex ipsorum Theologia voluntas Dei est duplex, una scripta, quæ in S. Scriptura contineatur; alia non scripta quæ in Traditionibus & decisionibus Ecclesiæ.*

*NB. Sed quæso memento Lector, quòd Jesuita jam jam, quando videbit majorem sive primam propositionem negatam planè à D. Doctore confirmatam, tunc ad evadendum refugiet ad hanc propositionem secundam, quam relinquit nunc sine negatione, & petet, ut probetur: totam Dei voluntatem contineri in S. Scriptura. Id quod, ut videbis jam jam, erit nimis serum. Sed memento, & Nota benè.*

IX. *Reformatus Catholicus.*

Licet, Dn. Pater reservet minorem, quæ aliàs ab omnibus pontificiis negatur, probo majorem,

Si nihil requiritur ad salutem suam efficiendam, nisi cognoscere verbum infallibile, quod contineat totam



Dei voluntatem; sequitur quod mea major sit vera.

Atqui ad efficiendam salutem nihil aliud requiritur nisi cognoscere infallibile verbum, quod contineat totam voluntatem Dei. Ergo sequitur quod Major mea sit vera.

*I X. Jesuita.*

Nego Minorem: cum protestatione, quod deserat Thesin positam, ut probetur ex Scriptura, illam solam esse Judicem Controversiarum.

*Observe quæso insulsam & plusquam puerilem Disputatorem, qui negat Minorem, & protestatur simul de desertâ Thesi positâ. Si in Conclusionem reperiatur illa ipsa propositio, quæ in priori argumento fuerat negata, non potest deseri thesis; Jam verò, ut videt quilibet etiam idiota, reperitur, scil. hæc Ergo major prius negata est vera.*

*X. Catholicus Reformatus.*

Probo Minorem: Si cognitio totius voluntatis Dei in verbo infallibili non sufficit ad salutem, sequetur posse dari aliud tertium, præter omnem Dei voluntatem.

Sed nullum potest dari: Ergo ad efficiendam salutem nihil requiritur, nisi cognoscere infallibile verbum, quod contineat totam Dei voluntatem.

*X. Jesuita.*

Non infertur negata propositio, peto probari totam minorem, & utrumque membrum.

*Animadvertite, quæso, Lector, quomodo perturbatus, & bonus Pater nesciat, quid dicat; non infertur inquit negata propositio, & tamen negata propositio totidem iterum verbis in conclusione reperitur; scil. hæc: ad efficiendam salutem nihil requiritur nisi cognoscere infallibile verbum, quod contineat totam Dei voluntatem.*

*XI. Catholicus Reformatus.*

Si mea minor nihil aliud probandum continet, nisi hoc, scil. sufficit ad salutem efficiendam, cognoscere tantummodo verbum infallibile, quod contineat totam voluntatem Dei, sequi-



quitur meam minorem esse abundè probatam:

Atqui mea minor nihil aliud continet, nisi hanc propositionem unicam, *ad efficiendam salutem nihil requiritur, nisi cognoscere infallibile verbum quod continet Dei voluntatem*, Ergo.

XI. Jesuita.

Nego sequelam Majoris, & peto probari quòd falsò supponitur, videlicet quod verbum Dei contineat totam Dei voluntatem.

NOTA BENE, jam ergo Lector: *Hic jacet in luto, hic haeret in pice Bonus Pater, & tanquam imbecillimus infans se planè movere non potest.*

Vide Lector qua jam monuimus seriò ad Articulum VIII. cum NB. petit jam bonus Pater probari: Verbum Dei continere totam Dei voluntatem. At verò, ut quilibet idiota potest videre, id planè non est probandum, nec in questione: istud enim est illa ipsa secunda propositio in planè primo argumento quam noluit negare: Scripturam continere totam Dei voluntatem. Totum ergò negotium & processus ita se habet.

Bonus Pater, in precedenti Argumento Artic. IX. negat Minorem, id est, hanc propositionem: Sufficere ad salutem cognoscere ejusmodi verbum, quod contineat totam Dei voluntatem.

Istam Minorem, sive secundam propositionem ita probat Doctor Steinbergius; Si non sufficiat ad salutem cognitio totius voluntatis Dei in verbo infallibili, sequeretur posse dari tertium præter totam Dei voluntatem: Sed nullum potest dari tertium. Ergò. Nunc ergò cum bonus Parens videret se non videre aut scire ullum aliud tertium ad salutem præter totam Dei voluntatem, & sic se captum sentiret, diverticulum quaerit & deserto argumento ac proinde totà causà, petit probari alteram propositionem prioris Argumenti Artic. VIII. qua hæc fuit: Atqui Scriptura continet totam Dei voluntatem.

Hic seriò & in duplum sudavit, imò sudore perfusus totus fuit bonus & crassus Pater.



NB. Cùm Celsiff. Princeps tot effugia & tot palpabilis ignorantia indicia in bono illo patre advertisset, ab hoc tempore deseruit bonum patrem & precipuas Disputationis partes ipse suscepit, utpotè sanè, non modò in cultu latini sermonis, sed & omnigenis ratiociniis ex lumine etiam naturali multis vicibus præstantior bono & crasso illo patre: Nihil dico quin provocem ad confessionem ipsius patris.

Imò non negabit, si frons ei ulla adhuc sit, Doctorem Steinbergium iterum ad Celsissimum Principem hic non semel, sed sæpius dixisse: miror, quod Celsitudo vestra mihi opponat ejusmodi βάρβαρον & illiteratum hominem, qui planè controversias ignorat, & qui sine ope Vestra Celsitud. nihil planè dignum dixit, nisi NEGO, NEGO. nullâ nè minimâ quidem responsione aut solutione, aut confirmatione ad sua omnia Nego additâ, quia scil. ne micam quidem Theologiae Polemicæ in pectore unquam habuit, aut gestavit. Undè observa Lector, nihil te in Responsionibus boni Patris visurum, nisi Nego, sine ulla uncia Theologia, adeò metuebat, nè si aliquid Theologicum exspuere vellet, iterum in principia & fundamenta sue Theologiae, quæ ipse non didicit, impingeret. Nego, Nego, Nego; Undè Dominus Doctor ad Celsissimum Principem dicebat, se recordari illius vulgati, unum Cumanum plus posse negare, quam centum sapientes probare.

#### XII. Catholicus Reformatus.

Ad sequelam Majoris probandam nihil aliud exigit Doctor Steinbergius, nisi quemlibet infantem propositionem unicam distinguere valentem per lumen ipsum naturale. Secundò quoad falsum præsuppositum, quod prætexit, patet omni legenti, idem esse ac si formem ejusmodi propositionem; *sufficit cuilibet Nobili omnes congruas conditiones hominis benè educati possidere, ad probandum se ex nobili & decore stemmate natum: Quæro an in hac propositione præsupponatur & dicatur, omnem Nobilem habere illas conditiones? & an potius non sit unicus sensus hujus propositionis; sufficit Nobili habere omnes congruas conditiones &c. petatur omnium homi-*



13

hominum iudicium, an hic duo membra ponantur probanda?

*XII. Jesuita.*

Discursus nihil ad rem faciens, non probat quod supponit, videlicet quod verbum DEI contineat totam voluntatem DEI, quod supponit nunquam probavit.

*XIII. Catholicus Reformatus.*

Reformatus se submittit Iudicio omnium hominum propositionem formare valentium, si dicatur in allatâ propositione & explicatâ esse plusquam unicam propositionem offert transire in Turcicam religionem.

*XIII. Jesuita.*

Nunquam prima negata major probata est; Deindè concedit Doctor scripturam solam non esse Iudicem controversiarum, quia appellat ad Iudicium omnium hominum.

*XIX. Catholicus Reformatus.*

Reformatus obtestatur omnes lumine naturali gaudentes, an sequatur; Reformatus provocat ad Iudicium naturale omnis luminis naturalis, an sint duæ propositiones in allatâ minore, ut hinc sequatur me provocare in rebus fidei ad merum Iudicium humanum?

Ex superabundanti nunc, quum D. Pater voluerit reservatam hanc propositionem, quod scil. verbum DEI contineat totam DEI voluntatem, sic argumentor.

Si D. Paulus testatur se omne DEI consilium revelasse & annunciasse, sequitur quod tota DEI voluntas reperiat in scriptura. Atqui verum prius est, Actor. XX. vers. 27. Minor eadem confirmatur ex manifestâ consequentiâ 2. Timoth. III. vers. 16. & potissimum 17. *omnis*



*Scriptura utilis ad erudiendum &c. ut perfectus ex ea reddatur homo Dei ad omne bonum opus.*

XIV. *Jesuita.*

Nego sequelam Majoris.

*Nota iterum nostri Cumani simplex NEG O, sine ullâ additâ ratione contra evidentissimum lumen rationis,*

XV. *Catholicus Reformatus.*

Si illud omne DE I consilium de quo loquitur D. Paulus est salutaris doctrina Evangelii sequitur omnem DE I voluntatem necessariam ad salutem, revelatam esse in S. Scriptura. Atqui omne DE I consilium, quod revelavit Paulus est salutaris doctrina DE I. Ergò sequitur Paulum revelasse omnem DE I voluntatem ad salutem necessariam.

*Ut intelligas, quâ occasione Doctor Steinbergius dicat, se ex superabundanti velle jam minorem probare, quam in primo omnium argumento non ausus fuerat negare Jesuita ignarus principiorum Theologiae pontificiae; Debes scire Lector quod id factum sit rogatu Celsissimi Principis, qui partes tunc Disputatoris susceperat, & qui ultrò, satis, ex accurato illo rationis lumine quo excellit, agnoscebat: Patrem ex principiis Theol. pontif. debuisse precipuè minorem negasse statim ab initio.*

XV. *Jesuita.*

Sequela Majoris negatur.

*Habes iterum Arcadis nostri NEG O, quod sanè Apulejus Medaurensis μεταμορφώμεν & aliquâ ratione fulcivisset. Sed Reorum & sonituum poenas meritas metuentium vox solennis est, NEG O.*

XVI. *Catholicus Reformatus.*

Si omnis doctrina Evangelii salutaris est revelata in SS. literis, sequitur meam sequelam majoris esse probatam,



batam, Ratio Conseq. est, quia omne DE I consilium i-  
dem est, ac omnis doctrina Evangelii.

*XVI. Jesuita.*

Non infertur Negata propositio.

*XVII. Catholicus Reformatus.*

*Judicet Lector.*

*Intervenit & interlocuta est hinc Celsissima Princeps consurgens & di-  
cens se malle de Cœnâ cogitare quàm diuturniorem audire con-  
certationem: Nona enim Vespertina aut sonuerat aut instabat,*

Johannes Melchior Steinberg SS. Theolog. Doctor  
& Professor in Academia Nassovicâ primarius  
p. t. Rector.

Conradus Reidt S. J. pro temp. Collegii Rector mpp.

In fidem præmissorum subscripsi  
Johannes Henricus Weller, ur-  
bis & curiæ Sigenensis Secreta-  
rius & Scriba juratus mpp.









L E C T O R I  
ARTIUM, LOYOLITIS ALIIS-  
QUE DESPERATÆ CAUSÆ PAPATUS  
HYPERASPITIS, SOLEN-  
nium perito.

EDITORES, SS. THEOL. STUDIOSI. SALUTEM.



Uge credere, Lector Amice, te ulli indulgentiæ, aut ul-  
troneæ liberalitati Venerandi nostri Præceptoris debere  
hanc Publico exhibitam historiam de Congressu illo im-  
pari Troili verè, (qualis Virgilio describitur) inermiss &  
pueri infelicis, non Patris, cum Achille sempiterni Æ-  
gide, ac Clypeo Verbi divini munitissimo, Myrmillonis  
debilissimi & jesunissimi, cum toroso Retiario, aut po-  
tius Myrmecis cum Aquila quæ formicam & muscam, aliàs non solet capta-  
re, nec hanc captasset, nec vermiculum hunc nudissimum, Jesuitastrorum  
facile ultimum proculcare dignata foret, absq; fuisset jussu & rogatu impen-  
sissimo Celsissimi Principis Joannis Francisci, Nassovici Principis &c. ad  
propudium Jesuitæ sui nimium properantis: quin nec eam debes jugibus &  
avarissimis nostris votis ac precibus, imò nec continuis & seriis amicorum  
& Bonorum conviciis (ut cum Quiniliano loquamur) eam alicui Ecclesiæ  
aut Egregii publici bono deposcentium: Eam debes uni demum, & excel-  
lenti impudentiæ, Jesuitæstri desperabundi, & Sigene ciconiâ ac auricu-  
lis albis monstrati, qui ignominie suæ, artibus tum Loyolitis, tum omnige-  
nis desperatæ causæ Papatus Hyperaspitis solennibus & veteratoriis, aliquo  
modo occursurus, ausus est fronte Loyoliticâ, id est nullâ aut planè ferreâ, è  
publico suggestu, ad manipulum tunicatorum & Βαυῶτων auditorculo-  
rum deblaterans, Ἐπιβίβιον quod à nemine referre poterat, sibi met accinere:  
imò chartulis hinc inde dispersis victorias suas, & ἐχρηδίασ Doctoris Stein-  
bergii imaginarias, impudentiâ plusquam Loyoliticâ disseminare. Hisce no-

A



P R Æ F A T I O.

vissimis, & omnibus aliis potentioribus machinis permotus Præceptor noster omnigeno honoris & amoris cultu devenerandus, nostris tandem cessit precibus; hæc tamen præmissâ protestatione, se propriam gloriam, gloriæ divinæ, & pudorem suum veritatis vindictis sacrificare. Sed qui sic, inquires? an gloriæ ergò aliquod dispendium, an pudorem prætexere poterit, qui vilem Adversarium adeò plenè & adeò facile triumphavit? Imò hinc pudoris origo præcipua. Reformidavit & adhucdum malè metuit Præceptor noster honorandus, ne varii nostrarum etiam partium suspicentur eum gloriolam aliquam è mustaceo, id est ex triumphato isto misello & Bœotico ignorantie mancipio, aucupari, qui propudio forsitan potius ducere deberet arma sua & pedem pedi contulisse cum illiteratissimo & stupidissimo Arcade. Protestatur itaq; se ἐρόντι ἀέροντι γὰρ Δουρῶ in tam ignobilem arenam nonnisi compellationibus & rogatibus seriis æq; ac præmeditatis Celsissimi Principis jam supra laudati, descendisse; maximè tandem ne bonæ causæ defuisse crederetur, locumve aliquem continuis infruntorum hominum thraconismis in quibus unicum collocant præsidium, dedisse censeretur.

Sed ut propius causas ac præmeditatum hujus provocationis scopum nôris, Amice Lector, rē tibi paulò altiùs arcessere debemus. Debes nosse hunc eundem nostrum Blateronem inanibus Doliis quæ maximè tinnunt simillimum, i. e. quò magis ab omni eruditione destitutum, eò majori impudentiæ Viatico instructum, nō semel imaginarios sibi Triumphos non verecundatū fuisse quæ privatim quæ publicè erigere, de commentitiis in Reverendos Pastores Ecclesiæ Reformatæ Sigenensis trophæis relatis, quæ ipse verè & solus cesserat, qualia saltē Reverendū illi Viri ab inermi & nudo Mirmillone potuerunt reportare. Sed in cumulū Jesuiticæ impudentiæ, observa Lector, audaculum & vanissimum istum Pyrgopolinicum, quasi primis suis Antagonistis ritè & planè defunctum, subinde ausum fuisse, impensum desiderium cum Doctore Steinbergio, quicum aliàs nulla intercedebat notitia, concertandi passim propalare. Fama ista non prius auribus Doctoris & Præceptoris nostri honorandi advolavit, quin libido animum ejusdem incesse in inquirendi in pruriginosum & animosum illum Philomachum, quis, quid, ubi, unde, quæ vires, quive tori & musculi, quidve ferat, quæ sit fiducia capto, & tamen peana canenti? quibus trophæis superbus? quibus triumphis clarus? De Viribus, constanti famâ relatum, ita illas in tauros corpus transfusas ut ingenio nulla omninò portio cesserit; eò usq; ut asfereretur, nullibi verius occurrere illud Martialis, Nulla est in tanto corpore



P R Æ F A T I O.

corpore mica salis, nisi forte eam excipias quam grunduli pecori Macro-  
bius facetè tribuit dum ait animam ei pro sale datam. De Victoriis & Lau-  
reïs ejusdem equè consonâ famâ ac veritate perhibebatur, eas nullis Histo-  
riarum monumentis memorari, nisi unico Plauti stylo, Actu primo, Scenâ pri-  
mâ, De Milite Glorioso, ubi refert nostrum Pyrgopolinicum, In Campis  
Gurgustidoniis, ubi Bombomachides Cluninstaridyfarchides e-  
rat Imperator summus, Legiones ejus difflavisse spiritu; istucque æ-  
depol nihil esse, præ ut alia quæ nunquam fecerit, ut quando Ele-  
fanto in India pugno perfregit brachium, & si pol conniti voluisset,  
per corium, per viscera, perque os Elefanto brachium transmisisset.  
Centum in Cilicia, & quinquaginta centum Sycolatronidæ,  
Triginta Sardi, Sexaginta Macedones, sunt homines quos occidit u-  
no die. Quanta hæc est hominum summa? Septem millia. In Cap-  
padocia ibi quingentos simul ni hebes machæra foret, uno ictu oc-  
cidisset. Publicæ illi fidei suam eò firmiorem & faciliorem commodavit  
Doctör Steinbergius, quòd ignarum ei non foret illos è Loyolitis qui in Regno  
illorum cæcorum Reges vulgò habentur, non solere pingua deserere pascua  
ut in sterili & angusto, quale est Sigenense, arvo pascant, ubi sanè Locustis  
illis Apocalypticis parum occurrit quod depascantur. Certum erat proinde  
Doctör Steinbergio generoso contemptu illum, Vervecum in patriâ crassoq;  
sub aère natum thrasonem, negligere; cùm tamen aliunde precibus sollicita-  
tur & tandem flectitur, ut reipsâ tumorem Pyrgopolinici compungere, &  
alti Calonis ignorantiam famâ jam notam, publicis experimentis magis de-  
γυαρίζειν dignaretur. Contingebat eo tempore ut in Cursu Controversia-  
rum in Theologia Elenctica Præceptoris nostri venerandi, quæ hic excudi-  
tur, Controversiæ pleræq; & præcipue adversus Pontificios Δοκίμωι κ; Διό-  
χωι occurrerent, quæ occasionem proinde nostris dederunt precibus ad Rev.  
nostrum præceptorem, ut indulgeret à proximo Respondente suas mitti the-  
ses Sigenam ad prurientem illum Patrem Philomachum, qui forte repen-  
tem & abjectam de eruditione & ingenio suo famam, sublimibus & præter  
spem arduis objectionibus humo erecturus foret: Oratum tandem exoravi-  
mus licet nostris flagrantibus votis potius quàm generoso suo animo obse-  
cundantem. Quia verò illa Disputationum excusarum novissima de mate-  
riis erat longè spheram intellectus & arctæ suppellectilis boni Patris superan-  
tibus, scil. de omnigenis Versionibus, earum naturâ, Origene, & αὐθεντικῶι πο-



P R Æ F A T I O.

tissimum verò de integritate, textuum Originalium tam Hebræi quàm Græci, oppositâ corruptæ farragini Vulgatæ Versionis Latine, voluit Clarissimus Præses mitti insuper quicquid hæctenus in Controversiis excusum fuerat, inter quas hæc satis ampla occurrebat ordine prima, Theologiam Pontificiam, æquè ac Mahumetanam, æquivocè demum se ad veram Theologiam habere. Gnarum enim & in confesso plus satis erat bonum Patrem de prioribus Controversiis jam memoratis scilicet de Versionibus, à D. de V. & integritate textuum Originalium, vix fando unquam audivisse, multò minus quicquam degustasse, minus quàm vulgò Asinus dicitur de Modalibus; cùm non diffiteatur, ipse se Græcè & Hebræicè perfectissimè ignarum; nec quidem noverit quâ parte demum Codex Sacer ad manum & ad lectionem obverti debeat. Imò quæso, quomodo crassum & baoticum illud Cerebrum sublimiores illas linguas vaperet, quod ad sexagenariū ætatem circiter vergens, ne guttulam quidem congruè, minus adhuc comptæ latinitatis potuit imbibere; prout in propatulo est omnibus etiam pueris, qui rus merum inficetorum & continuorum ipsius germanismorum exhibere passim solent. Dicunt vulgò Sigena eum loqui Latinum Germanicum, quia de verbo ad verbum Germanismos suos Latinis sonis effutire solet. Duo itaq; nostrum, se subito ad iter Sigenense (quod sex demum horarum est) accingunt, impatientis & jactati toties voti pugnacem Patrem facturi compotem. Invitant eum humanissimè, Cl. etiam Præsidis nomine, ut dignaretur doctis suis Objectionibus varias & examine dignas materias ventilatum venire Herbornam, ubi & sumptuum omnium quâ itineris, quâ mensæ securus, humanissimè ab humano Præside exciperetur. Accipit subito conditionem, & hilari, licet ex composito vultu, pollicetur adventum suum circa finem proximæ septimane; se de socio itineris & disputationis sibi prospecturum. Refertur nostri Clarigatores reduces responsum, differtur affixa Disputatio eo fine ad octiduum; Expirat interim condictum tempus, nullibi comparet thraso; per tertios Sigena commorantes vellitur prurienti & Disputaci Patri denuò auris, octiduum illud jam diu elapsum; Ipse verò, nescimus quas occupationes prætexere, & nescimus quam Comitibus & sociis, ad iter & ad Disputationem, inopiam; se tamen operam navaturum ut fidem solvat: Elabitur interim denuò geminum octiduum, donec tandem expugnatâ ferè nostrâ patientiâ, mittitur ipse Respondens Sigenam, novis ac instantissimis precibus exoraturus Patrem, ut dignaretur illo quem tam ardentè & tamdiu sitiverat, honore



P R Æ F A T I O.

nore seipsum beare. Sed proh dolor! quantum mutatus reperitur ab illo pugnaci ante hac Hectore qui tantas spirabat minas; protestatur ingenue & sine ullâ tergiversatione se non venturum, se tot & gravibus obrui occupationibus ut nec meditandis objectionibus, nec suscipiendo itineri quidquam sibi temporis diu residuum esse queat. Instat porro Respondens, ut sponderet saltem suum adventum expeditis illis gravioribus curis, & dignaretur tempus aliquod indicere nobis, etiam ad trimestre aut quadrimestre ac etiam amplius temporis spacium eum prestolaturis, Sed surdo fabula. Unum hoc certum demum reposuit, se nihil certi posse polliceri. Dum interim canina & effreni sua impudentia nullum ideo ponit obicem, sed intemperantius quàm unquam contumeliosis injuriis Rever. Ecclesie Sigenensis Pastores è plaustro potius quàm è suggestu sacro publicè proscindit, Reverendi isti Viri jure optimo in solennibus Concionibus eum Herbornam ad Doctorem Steinbergium amandant, ubi à plurium jam mensium decursu expectabatur. Propudium huic nullo modo velabili remedium diu multumq; querit, aestuat, ringitur. Interim redit ac Nassovia Sigenensi redditur Celsissimus & Illustrissimus Princeps Johannes Franciscus Nassovia Princeps &c. à tot annis jam à suis desideratus dum Bruxellis sedem figit Ordinariam. Apud eum se à Calvinianis & nominatim à Doctore & Professore Herbornensi provocatos & lacestos conqueruntur: noster bonus & miser thraso, promptitudinem suam jactare, se ad iter Herbornense accinctum fuisse, sed denegatum sibi à Celsissimo hinc Nassovia Dillenbergensi Principe Salvum Conductum; Denegatum scilicet à Principe omnium quæ tunc gerebantur & gesta sunt ad hanc usq; horam juxta cum remotissimis populis ignarissimo. Infamis sanè impudentia! quæ audet pratexere denegatum, quod nunquam petiit, nec petere in mentem venit, nec deniq; petere opus ullo modo fuit; cùm constet in Publicis Academiis jus publicè opponendi cuilibet omninò patere, sine ullo omninò discrimine sanè longè minori quàm subiit Doctor Steinbergius in Arce ipsâ Sigenensi.

Sed observa hinc apprimè Lector quomodo isti Mendaciorum & Equivocationum Architecti & Patroni toto orbe insignes, non industrii minus fuerint in novis technis excogitandis quibus possent clancularium aliquod & quantumvis breve cum Doctore Steinbergio colloquium obtinere, ex quo postea, conductis & instructis ad hoc Rumigeratoribus, pro lubitu Victoriam & Paana sibi vindicarent. Quid fit? invitatur & admittitur mense Principali Strenuus & Nobilissimus à Seelbach &c. paulò ante adventum Doctoris Steinbergii Si-



P R Æ F A T I O.

genam Jesuita quidam eidem mensæ pariter accumbens captat undiq̄, occasionem quâ litem aliquam in Religionis negotio movere Nobilissimo illi Viro queat. Arreptâ tandem aliquâ obtorto collo super joco quodam de Spectris, querit de subito Jesuita, cur Nobilissimus à Seelbach Spectrorum meminisset, cum Calviniani nullos credant esse Spiritus? Facile & exactè ignarissimo Jesuitæ extra Breviarium suum in omnibus peregrino satisfecit Vir Nobilissimus. Addidit interim corollarii loco se non putare ad mensam invitatum ut Theologum ageret.

Hoc ipso commoditatis arrepto articulo alloquitur confestim Celsissimus Princeps Nobilissimum à Seelbach, & rogat ut à partibus suis eligat aliquem Doctorem aut Theologum, se cum ipso hoc inire stipulatâ manu pactum; scilicet, quod si Doctor ille superior in conflictu, Patre Jesuitâ evaderet, se Reformatorem religionem amplexurum, sin verò succumberet, Nobilissimum à Seelbach vice reciproca in Pontificiorum castra transiturum.

Dum hæc Sigene geruntur, virgula planè fatali contigit ut eo ipso tempore Doctor Steinbergius Herbornæ, recusatam & dilatam jam diu deputationem sive Ablegationem ad Celsissimos Principes Sigenenses aut ad eorum Amplissimos Consiliarios tam nomine Celsissimi Principis hîc Dillaburgensis, quàm Amplissimi Senatus Academici in momentoso & urgente negotio susciperet, & sese itineri eo ipso pacti Sigene initi die, dederet: Deus novit an animo aut præscio, aut avido disputationis, cum, non obstante Celsissimi Principis & Domini sui rogatu qui ipsum nominatim & speciatim ad illam Deputationem jam diu designaverat, diu tamen cunctabundus & novis demum ac continuis interpellationibus, id est trabali & fatali necessitate onus illud subiverit. Appellit itaq̄, Sigenam Doctor Steinbergius: Accersitur & admittitur mensæ principali, convocatus pariter adsuit idem & Nobilissimus à Seelbach, Postquam Doctor Steinbergius ante & post prandium, de commisso sibi negotio ex professo cum Celsissimo Principe egisset, nihilq̄ restaret, quam ut cum nominato quodam Celsitudinis ejus Consiliario, rem propius excuteret, salutem & gratias Celsissimo Principi dicere Doctor Steinbergius domuitionem parans, arbitratur, cum Celsissimus & præfatus jam Princeps non minori humanitate quàm facundia gallica pollens, testatur se conversatione & colloquiis Domini Doctoris ita capi ut nolit eum tam citò adhuc dimittere. Ad se vocat actutum Nobilissimum à Seelbach quem sic affatur; Recordabitur sine dubio Dominus à Seelbach, quid non ita pridem inter nos mutuâ  
stipula-



P R Æ F A T I O.

stipulatione transactum sit; siquidem gaudemus jam presentia Domini Doctō-  
ris Steinbergii, ego lubens eum cum Patre Rectore Disputantem audiam; &  
me demum presente, cum Domina Coniuge meâ, unâ cum Domino à Seelbach,  
superius in conclavi meo conventum illum constituam.

Subolsedit statim Doctor Steinbergius, in quos destinaretur hæc ma-  
china muros, & acu tetigit finem cui instituebatur clancularium illud Col-  
loquium; ut scilicet propudio Patris ad Opponentis partes olim Herbornam invi-  
vati sed vadimonium deserentis, per artes Jesuiticas, utcumq; occurreretur;  
dum constitutum jam in antecessum fuerat spargi non modo rumores sed &  
chartulas & jactationes clancularias de Patre Jesuita victore, & de Doctore  
Herbornensi subjugato; prout revera etiam contigit. Nihilominus in quan-  
tum timoris, tremoris, & palloris continui, animadvertebatur in bono Jesui-  
ta, torturam & cladem suam inevitabilem expectante, in tantum fiducia &  
vigoris singularis animadvertebatur in Doctore Steinbergio, unum solùm agrè  
ferente se cum ignarissimo tyrone, & contra Danaum insidias, pugnam inire.

Ideo rogavit ante omnia Doctor Steinbergius, ut quæcumq; ultrò citroq;  
dicerentur, fideliter à scribis idoneis & extemplo scriptim consignarentur.

Deinde petiit ut ad manus haberentur & afferrentur ex Bibliotheca  
Jesuitarum precipui Controversiarum scriptores Pontificii, vel saltem vul-  
gatiores, nominatim Bellarminus, Becanus, & quadam Stapletoni opera, siqui-  
dem ibi extabant: eò scilicet maxime sine ut bonus Pater in Controversiis  
planè hospes de sententia Pontificiorum ex suismet Doctoribus posset edoceri.  
Sed nihil tale potuit obtinere. Petiit saltem ut ante omnia textus Origina-  
les Hebraus & Græcus prostarent ad manum; Sed ut postea uberius in con-  
flictu ipso patebit, ipse bonus Pater ultrò agnovit istos textus & illas linguas  
esse ipsi terras barbaras & incognitas, quò nec pedem nec nasum unquam tu-  
lerat: prout nec in Latina & vulgata Versione versatior est, sed longè peregri-  
nior quam varii è nostris, per Dei gratiam, pueris decennibus. Præter quippe  
loca paucissima in promptuario Stapletoni aut vilioribus Postillis allegata ve-  
rosimile est bonum illum Patrem, nullum unquam caput in Bibliis Sacris  
legisse, Hoc verò manifestius clarebit in proximo Sigenensi colloquio & exa-  
mine, ad quod se offeret jam jam Venerandus noster Præceptor.

Sed ut in compendium mittamus Colloquii jam suscepti historiam, no-  
tare debes Lector Amice, sequentia in eo memorabilia.

I. Celsissimus Princeps Job. Franciscus &c. stipulatus ante omnia fue-



P R Æ F A T I O.

rat silentium non modò ab Experientissimo & Clarissimo D. Doctore Cnopio, sed etiam à Nobilissimo Domino à Seelbach, ne Colophonio suo auxilio nutanti Doctore Steinbergio subvenirent, iteratis vicibus stipulans se ne verbulo quidem interlocuturum. Quid verò sit? Testabuntur non modò omnes qui ibi presentes fuere, sed nec Celsissimus ipse Princeps, Heros generosissimus, diffitebitur se præcipuas ferè Disputatoris partes coactum fuisse assumere ut ignorantissimo, æquè ac æstuantissimo, & continuè sudantissimo Patri succurreret. Non diffitebitur etiam Princeps Celsissimus, se à Domino Doctore Steinbergio petiisse ut missâ majori propositione primi syllogismi, in cuius negatione planè succubuerat bonus & ignorantissimus Pater, petiisse inquam ut minorem quam idem Pater nesciverat ab initio negare, probaret, scilicet hanc, S. Scriptura continet totam Dei voluntatem. Videbat enim Celsissimus & subactissimi Judicii Princeps, ex iis potissimum quæ jam docuerat Doctor Steinbergius, Pontificios non admittere totam Dei voluntatem contineri in S. Scriptura, & illam propositionem proinde debuisse negari. Unde etiam Doctor Steinbergius diu urisit & protestatus fuit se ad minoris probationem nolle transire nisi scriberetur & à Secretario in Acta referretur se id ex superabundanti, & ex solâ petitione Celsissimi Principis facere. Sed dum Princeps recusavit ut Sui mentio fieret, concessit tamen ut verba ista Ex superabundanti, scriberentur.

I I. Noret & observet Lector, Doctorem Steinbergium ad Minoris suæ probationem postulasse textus Originales, Hebræum & Græcum, Dicta etiam hebræa & græca ex tempore citasse, sed bono Patre ne Syllabam quidem intelligente. Frustra iteratis & innumeris vicibus petiit illos Textus, donec ingenuè bonus Pater & palàm, se in illis Linguis non exercitatum confessus est, subjiciens Dominum Doctorem sine dubio in illis plus temporis impendisse. Volebat pariter Doctor Steinbergius ut ista Disputatoris ignorantia & confessio genuina Protocollo infereretur; sed Scriba, uti dictum, Pontificius, nihil nisi quod & Celsissimo Principi, & ignorantissimo Patri arridebat consignare voluit.

III. De Vulgatæ Versionis Latine Authoribus & auctoritate, unde & qualis, juxtâ cum ignarissimis ignorabat, fuseq; eum, quid sentiebant Pontificii docere debuit Doctor Steinbergius, uti omnes qui astitérunt si Veritati locum velint dare, fateri adigentur.

IV. Si quidem infrunita Jesuitastrorum desperatio eò usq; devenit, ut  
ab igno-



P R Æ F A T I O .

ab ignominia profundissima emergere conantes, summam & infami impudentiam clancularias & infames chartulas, solennes scilicet & cognitissimas Loyolitis artes, hinc inde spargere non horruerint, quibus scilicet pueriliter & sine ulla verisimilis specie jactitant, se ita plane victoriam potitos, ut Doctor Steinbergius ad incitas plane redactus, ne verbulo quidem hiscere potuerit, ne verbulo quidem; Imò siquidem pasquillis non contenta Loyolarum frons infamis, ausa est suas victorias, & triumphatum Doctorem Steinbergium ad ἐχεμυδιαν redactum pythagoricam jactare, sibiq; uti jam diximus Pæanas ibidem & publice è suggestu accinere; Querimus lubentes

Primò, Unde tantum facundia & eruditionis flumen, & tam derepente pectus illud Bæoticum boni Patris inundaverit, quo ad incitas illas adeò arcti silentii redegerit Doctorem Steinbergium, quem bonus Pater non semel sed innumeris vicibus fassus est, se facundiam & promptitudine multis vicibus superiorem? & cum exscriptor Actorum hujus Colloquii Præstantissimus Vir D. Dickstallius Præceptor Sigena Classicus, litem moveret Jesuitæ, quòd nomen suum in Proœmio præposuisset nomini Doctoris Steinbergii, nonne respondit hisce verbis, Licet me superet eruditione, Ego eum supero ætate? Imò querimus an non iteratis vicibus ad ipsummet Doctorem Steinbergium fassus sit se agnoscere ipsum pro Exercitatissimo Disputatore & qui illam artem diu jam exercuisse debuit? Se à triginta jam annis Theologiam suam audivisse; suam tarditatem excusaturus. Imò non opus est quam varios consulere passim Sigena. Vivit adhuc Nobilissimus à Seelbach qui testabitur Jesuitam ipsam Colloquii finiti vespèram, post cœnam, coram Celsissima ipsa Principe agnovisse, se non vidisse exercitatiores & promptiores Disputatores, subjungendo, Eximium sine dubio Virum esse.

Probabile ne ergò erit tam Eximium Virum, & tam Exercitatum Disputatorem verbulum saltem non potuisse addere?

Secundò, Querimus an ille ne verbulo quidem hiscere potuerit, de quo ipsemet Celsissimus Princeps Joh. Franciscus &c. in ipsemet conflictu & paulò antè finem hæc verba pronunciavit, tunc temporis Germanicè, Wann der Antonius Jung einen solchen Advocaten hätte/er sol sich noch zwey ganze jahr können verthädigen / id est, Si Antonius Jungius (reus quidam de cujus capite Comitæ eodem die iterum habita fuerant) ejusmodi Advocatum haberet se adhuc per biennium posset defendere, talis erat saltem sensus verborum Celsissimi Principis ad cujus per Dei gratiam adhuc



P R Æ F A T I O.

incolumis testimonium provocamus.

Tertiò, Injunctâ ab initio Cœna mentione quorundam qui in Gallia vocantur les Esprits forts, Ingenia fortia, inter quæ referebatur Regina Suecia, de quâ aserebat Doctor Steinbergius quòd indifferentiam sine dubio Religionum, potius quàm Papisimum amplecteretur, nonne derepente addidit Celsissimus Princeps, si ullum inter ingenia fortia vellem referri ego Te, Gallicè loquens, referrem, cumq; odiosum illum titulum à se amoliri vellet Doctor Steinbergius qui volebat explicare quo ignominioso sensu illa Ingenia fortia in Gallia insigniantur, interrumpens Celsissimus Princeps agebat, non, non, habes ingenium sine contradictione fortissimum, & si velles, omnigenas religiones posses tueri, Ergò etiam Domine Pater Reformatam, Ergò saltem pisce mutior non hesit Doctor Steinbergius, ex agnitione Celsissimi Principis.

Quartò, Imò verò si tam idoneus Disputator & Doctorum nostrorum Capistrator est ille bonus Pater, quare toties, totiesq; passus est, ne verbulo quidem in contrarium reposito, illam ignominiam quam Doctor Steinbergius ei impetit, dum toties petiit à Celsissimo Principe ut ipsi opponeret quempiam alium ex suis Jesuitis qui in Controversiis tantisper versati essent? Testabuntur omnes qui adfuèrunt, eum multum sudasse, sed ne verbulo quidem illam ignominiam à se utpote ignorantia sua sibi conscio, repulisse. Ne verbulo quidem.

Quintò, Si ille Pyrgopolinices Adversarium suum tam plenè Castris exuerat, quò factum est, ut toties à Celsissimo Principe ac Celsissimâ ejus Coniuge spes facta sit Doctori Steinbergio de alio (& proinde sine dubio validiori) Adversario objiciendo, aut Hadamariâ, aut Colonia, aut aliunde evocando? Imò quare per integrum & amplius octiduum quo post concertationem illam priorem Doctor Steinbergius Sigena hesit, & interea etiam temporis aliquando ad mensam Celsissimi Principis invitatus fuit, ad novas tamen Disputationes, nec cum novo nec cum veteri Adversario, unquam invitatus fuit, licet Doctor Steinbergius tridui ad minimum colloquium à Celsissimo Principe exegerat, si de præcipuis & momentosis materiis discursum audire averet? Confirmabit suò testimonio Princeps Celsissimus ad quem iterum intrepidè provocamus.

Sextò, Quare quæso idem Celsissimus Princeps à Doctore Steinbergio ultimum colloquium de ablegationis suæ negociis habente, & ultimum Vale humil-



P R Æ F A T I O .

ab ignominia profundissima emergere conantes, summa & infami impudentia clancularitas & infames chartulas, solennes scilicet & cognitissimas Loyolitis artes, hinc inde spargere non horruerint, quibus scilicet pueriliter & sine ulla verisimilis specie jactitant, se ita plane victoriam potitos, ut Doctor Steinbergius ad incitas plane redactus, ne verbulo quidem hiscere potuerit, ne verbulo quidem; Imò siquidem pasquillis non contenta Loyolarum frons infamis, ausa est suas victorias, & triumphatum Doctorem Steinbergium ad *ἐξευδία* redactum pythagoricam jactare, sibiq; uti jam diximus *Pæanas* ibidem & publice è suggestu accinere; Querimus lubentes

Primò, Unde tantum facundia & eruditionis flumen, & tam deridente pectus illud Bæoticum boni Patris inundaverit, quo ad incitas illas aded arcti silentii redegerit Doctorem Steinbergium, quem bonus Pater non semel sed innumeris vicibus fassus est, se facundiam & promptitudine multis vicibus superiorem? & cum exscriptor Actorum hujus Colloquii Præstantissimus Vir D. Dickstallius Præceptor Sigene Classicus, litem moveret Jesuitæ, quod nomen suum in Proæmio præposuisset nomini Doctoris Steinbergii, nonne respondit hisce verbis, Licet me superet eruditione, Ego cum supero ætate? Imò querimus an non iteratis vicibus ad ipsummet Doctorem Steinbergium fassus sit se agnoscere ipsum pro Exercitatissimo Disputatore & qui illam artem diu jam exercuisse debuit? Se à triginta jam annis Theologiam suam audivisse; suam tarditatem excusaturus. Imò non opus est quam varios consulere passim Sigene. Vivit adhuc Nobilissimus à Seelbach qui restabitur Jesuitam ipsam Colloquii finiti vesperam, post cœnam, coram Celsissima ipsa Principe agnovisse, se non vidisse exercitatioem & promptioem Disputatorem, subjungendo, Eximium sine dubio Virum esse.

Probabile ne ergò erit tam Eximium Virum, & tam Exercitatum Disputatorem verbulum saltem non potuisse addere?

Secundò, Querimus an ille ne verbulo quidem hiscere potuerit, de quo ipsemet Celsissimus Princeps Joh. Franciscus &c. in ipsemet conflictu & paulò antè finem hæc verba pronunciavit, tunc temporis Germanicè, Wann der Antonius Jung einen solchen Advocaten hätte/er sol sich noch zwen ganze jahr können verthädigen / id est, Si Antonius Jungius (reus quidam de cujus capite Comitæ eodem die iterum habita fuerant) ejusmodi Advocatum haberet se adhuc per biennium posset defendere, talis erat saltem sensus verborum Celsissimi Principis ad cujus per Dei gratiam adhuc



P R Æ F A T I O.

*incolumis testimonium provocamus.*

Tertiò, *Injectâ ab initio Cœna mentione quorundam qui in Gallia vocantur les Esprits forts, Ingenia fortia, inter quæ referebatur Regina Suecia, de quâ assererat Doctor Steinbergius quòd indifferentiam sine dubio Religionum, potius quàm Papismum amplecteretur, nonne derepente addidit Celsissimus Princeps, si ullum inter ingenia fortia vellem referri ego Te, Gallicè loquens, referrem, cumq; odiosum illum titulum à se amoliri vellet Doctor Steinbergius qui volebat explicare quo ignominioso sensu illa Ingenia fortia in Gallia insigniantur, interrumpens Celsissimus Princeps agebat, non, non, habes ingenium sine contradictione fortissimum, & si velles, omnigenas religiones posses tueri, Ergò etiam Domine Pater Reformatam, Ergò saltem pisce mutior non hesit Doctor Steinbergius, ex agnitione Celsissimi Principis.*

Quartò, *Imò verò si tam idoneus Disputator & Doctorum nostrorum Capistrator est ille bonus Pater, quare toties, totiesq; passus est, ne verbulo quidem in contrarium reposito, illam ignominiam quam Doctor Steinbergius ei iniecit, dum toties petiit à Celsissimo Principe ut ipsi opponeret quempiam alium ex suis Jesuitis qui in Controversiis tantisper versati essent? Testabuntur omnes qui adfuérunt, eum multum sudasse, sed ne verbulo quidem illam ignominiam à se utpote ignorantie suæ sibi conscio, repulisse. Ne verbulo quidem.*

Quintò, *Si ille Pyrgopolinices Adversarium suum tam plenè Castris exuerat, què factum est, ut toties à Celsissimo Principe ac Celsissimâ ejus Coniuge spes facta sit Doctori Steinbergio de alio (& proinde sine dubio validiori) Adversario objiciendo, aut Hadamariâ, aut Coloniâ, aut aliunde evocando? Imò quare per integrum & amplius octiduum quo post concertationem illam priorem Doctor Steinbergius Sigena hesit, & interea etiam temporis aliquando ad mensam Celsissimi Principis invitatus fuit, ad novas tamen Disputationes, nec cum novo nec cum veteri Adversario, unquam invitatus fuit, licet Doctor Steinbergius tridui ad minimum colloquium à Celsissimo Principe exegerat, si de præcipuis & momentosis materiis discursum audire averet? Confirmabit suoid testimonio Princeps Celsissimus ad quem iterum intrepidè provocamus.*

Sextò, *Quare queso idem Celsissimus Princeps à Doctore Steinbergio ultimum colloquium de ablegationis suæ negociis habente, & ultimum Vale humil-*



P R Æ F A T I O.

*humillimâ salute Celsitudini ipsius dicente, expressè & stipulatâ insuper manu exegit ut presentiam suam & reditum ad nova & strenua Colloquia quæ destinabat brevi dierum aut septimanarum spacio habenda, vellet addicere? Id quod quàm & ultrò & promptè sponderit Doctor Steinbergius novit Celsitudo ipsius, ad cuius generositatem non auderemus provocare si vel minimum quid falsi hîc aspergeremus.*

SED LECTOR AMICE

*Ecce Tibi aliam & unicè sufficientissimam viam distandis omnibus Jesuitastrorum thraconismis, ecce unicum & efficacissimum Loyoliticarum chartularum & vanissimarum jactationum compscendarum medium. Attende ad hanc quam nomine honorandi nostri Præceptoris Declarationem emittimus.*

*DOCTOR STEINBERGIUS notum facit bono & ignorantissimo Patri CONRADO REIDT, quòd paratus sit se sistere non amplius in clanculario Colloquio ubi unicus Scribâ sit Pontificius, sed in publicâ Sigenensium Curia, quò omnigeni homines, literati potissimum, convenire possint, & quò Viros inclutos & omni exceptione majores secum adducet Doctor Steinbergius, & tales pariter secum adducere poterit Jesuita.*

*Ibi, scilicet in Publica & plenâ Cûria, trium dierum spacio assumet coram omnibus demonstrare CONRADI REIDT, Jesuitæ, summam quâ in Linguis, quâ in Philosophiâ, quâ potissimum in Theologia ignorantiam.*

*Sed notet ante omnia bonus Pater, Doctorem Steinbergium nolle cum alio rem habere in ignorantia Jesuitæ propalanda nisi cum ipso, ne tertius iterum interveniens Colloquium tumultu aut injuriis aut similibus Jesuitarum artibus, interrumpat. Si hoc accidat pro Desertore & Victo declarabitur Jesuita.*

*Deinde responsa boni Patris notentur à duobus Secretariis fidelibus, altero Catholico-Orthodoxo, altero Catholico-Papista.*

*Deniq, monetur Jesuita ut publicè vel privatim designet expressè diem quo debeat Doctor Steinbergius Sigena comparere; Aliàs Jesuita pro desertore & fugaci iterum habebitur.*







P R Æ F A T I O.

humillimâ salute Celsitudini ipsius dicente, expressè & stipulatâ insuper manu exegit ut presentiam suam & reditum ad nova & strenua Colloquia qua destinabat brevi dierum aut septimanarum spacio habenda, vellet addicere? Id quod quàm & ultrò & promptè sponderit Doctor Steinbergius novit Celsitudo ipsius, ad cujus generositatem non auderemus provocare si vel minimum quid falsi hîc aspergeremus.

SED LECTOR AMICE

Ecce Tibi aliam & unicè sufficientissimam viam distandis omnibus Jesuitastrorum thraconismis, ecce unicum & efficacissimum Loyoliticarum chartularum & vanissimarum jactationum compescendarum medium. Attende ad hanc quam nomine honorandi nostri Preceptoris Declarationem emittimus.

DOCTOR STEINBERGIUS notum facit bono & ignorantissimo Patri CONRADO REIDT, quòd paratus sit se sistere non amplius in clanculario Colloquio ubi unicus Scriba sit Pontificius, sed in publicâ Sigenensium Curia, quò omnigeni homines, literati potissimum, convenire possint, & quò Viros inclutos & omni exceptione majores secum adducet Doctor Steinbergius, & tales pariter secum adducere poterit Jesuita.

Ibi, scilicet in Publica & plenâ Curia, trium dierum spacio assumet coram omnibus demonstrare CONRADI REIDT, Jesuitæ, summam quâ in Linguis, quâ in Philosophiâ, quâ potissimum in Theologia ignorantiam.

Sed notet ante omnia bonus Pater, Doctorem Steinbergium nolle cum alio rem habere in ignorantia Jesuitæ propalanda nisi cum ipso, ne tertius iterum interveniens Colloquium tumultu aut injuriis aut similibus Jesuitarum artibus, interrumpat. Si hoc accidat pro Desertore & Victo declarabitur Jesuita.

Deinde responsa boni Patris notentur à duobus Secretariis fidelibus, altero Catholico-Orthodoxo, altero Catholico-Papista.

Deniq; monetur Jesuita ut publicè vel privatim designet expressè diem quo debeat Doctor Steinbergius Sigena comparere; Aliàs Jesuita pro desertore & fugaci iterum habebitur.









BREVIS ET SOLIDA ENUCLEATIO  
*CONTROVERSIÆ DE JVDICE  
CONTROVERSIARVM, QVA AD OCVLVM  
patet ruinosum totius Religionis Papalis fun-  
damentum, & occurri potest omnibus effugiis, qua  
possint à Sophistis afferi.*



Enique monendus est, Charus  
LECTOR, ut ad sequentia Capita seriò attendat,  
tam ad faciliorem Victoris in hoc Colloquio  
discriminationem, quàm potissimum ad Vin-  
dicias veritatis & Victoris contra id omne,  
quod possent in contrarium producere tur-  
bones illi, qui postquam succubuerunt, solent  
ordinariò intricatè, desultoriè, ac meris digres-  
sionibus respondere, neglecto principali quæstionis capite.

Primò, ergò, ante omnia memento Lector non hîc esse quæ-  
stionem de eo, quod tum temporis potuisset Jesuita ad causæ suæ de-  
fensionem afferre, si in Libris & Controversiis suæ religionis fuisset  
tantisper versatus. Dubium enim non est, quin ex Libris & Pontificiis  
versatoribus multa in genere jam ad argumenta Doctoris Steinbergii  
possit emedicare. Id quod ex animo tunc, Doctor Steinbergius optavit  
centies quando disputabatur, ut sic Celsissimus Princeps posset audire  
retorsiones & responsiones nostras solidissimas ad distinctiones & ex-  
ceptiones Pontificiorum. Itaque, Chare Lector, NB. agitur hîc tan-  
tummodò ut judices nudè de articulis solis Colloquii, prout subscri-  
ptione ipsiusmet Patris Conradi Reidt, & Secretarii Sigenensis mani-  
bus authenticè confirmantur.

A

Notz



Notæ enim quas supra addimus non faciunt ad materiam, sed ad simplicem historiam rei gestæ, aut ad simplicem inculcationem & indicationem locorum, ubi bonus Pater planè in luto hæret.

II. Itaque observa quæso præcipuam & unicam defensionem, quam honori & causæ suæ debet Jesuita, debere afferri ad *Articulum XI*, ubi desertâ defensione suæ majoris propositionis, per manifestum effugium petit probari secundam propositionem quam in primo argumento noluerat negare, scil. hanc, *Atqui Scriptura talis est, ut contineat totam Dei voluntatem*. Cùm nihil enim posset afferre, quod demonstraret dari tertium aliquod necessarium ad salutem, præter totam Dei voluntatem, manifesto & putido effugio petit probari S. Scripturam continere totam DEI voluntatem; Id quod non erat amplius in quæstione. Itaque NB. Lector, nisi in eo Articulo se tueatur, omnia vana esse quæcunque aliunde ipsius socii pro ipso reposituri & deblateraturi erunt. Ab ipsomet enim Jesuita *Reside*, ne *ꝑꝑ* quidem aut Latinitatis congruæ aut Theologiæ expecta.

III. NB. Non est uti jam diximus dubium quin ad istam materiam & quæstionem de Judice Controversiarum & argumenta Doctoris à Pontificio in Controversiis versato excipi & distingui potuissent.

Illorum, Benevole Lector, hîc tibi quædam ipsimet suppeditabimus, ut noris quomodo Pontificii ipsi, nempè versati in Controversiis, ordinariò ad argumenta nostra distinctione respondere soleant; V. G. ad argumentum primum Doctoris Steinbergii, quod videbis num. VIII. distinxissent Pontificii Doctores, inter *Normam*, sive *Judicem Normalem*, & inter *Judicem Externum*, sive *externè & clarâ voce loquentem*; solentque Pontificii Disputatores sive potius Vitiligatores & verè hîc nugatores exigere, *Judicem Externum*, qualis est v. g. Magistratus Civilis, id est, Iudex Coactivus, qui duas has habeat conditiones, *primam*, ut pronuntiet ita sententiam, ut una pars se victricem, altera victam agnoscere teneatur; *secundam*, ut partem ad acquiescendum reluctantem possit plenâ potestate ad acquiescendum & executioni parendum adigere.

Ad quæ omnia nota benè chare Lector; faciles jam diu & præstò nobis fuerunt responsiones, si quidem in hâc quæstione *primò* nunquam



3  
quam Reformati dixerunt S. Scripturam Iudicem esse externum & co-  
activâ potestate ad instar Magistratum Civilium præditum, nihilque  
aliud intellexerunt nisi Iudicem Normalem, sive vocem Iudicis supre-  
mi in Scriptura loquentis.

Deinde *secundo*, rationes prægnantissimas jam diu attulimus, qua-  
re non debeat, nec possit dari hodiè ullus ejusmodi Iudex Externus &  
coactivus, & cur *Iudex Normalis*, sive *Vox Dei Iudicis in S. Scriptura*  
*loquentis*, sufficiat; Quia nempe in negotio fidei & Religionis coa-  
ctiõni planè nullus est locus: *Fides enim vult persuaderi non imperari*  
*aut cogi*, ut Veteres Ecclesiæ DD. jam ab ævo locuti sunt. Non potest  
verò persuaderi nisi ex Sacrà Scriptura. Ita ut (NOTA BENE LECTOR,  
ad majorem Antichristianæ doctrinæ horrorem concipiendum) plus-  
quam tyrannicum sit velle ut fidelis ita credat Ecclesiæ, id est Papæ, ut  
licet Scriptura & Veritas omnis contrarium statueret, teneatur tamen  
sub gravi conscientia peccato soli credere Ecclesiæ: Millena sunt ejus-  
modi horribilia in Pontificiis Doctoribus dicta; Unum tantum bre-  
vitatibus causâ vide, Chære Lector, apud Bellarminum Disputatorum  
apud Pontificios facile Principem lib. IV. de Pontifice cap. V. ubi sic  
loquitur, SI PAPA ERRARET IN PRAECIPIENDO VITIA VEL  
PROHIBENDO VIRTUTES, TENERETUR ECCLESIA CREDERE VITIA  
ESSE BONA ET VIRTUTES MALAS, NISI VELLE CONTRA  
CONSCIENTIAM PECCARE. Atque ideò etiam non tendunt  
aliò AntiChristi mancipia, quando negant S. Scripturam esse Iudi-  
cem Normalem, sive Normam fidei, quàm ut subiiciant ipsammet  
S. Scripturam ejusque omnia, etiam Legis naturalis præcepta, iudicio  
& libero arbitrio Ecclesiæ, sive Papæ, qui pro lubitu de omnibus DEI  
præceptis possit dispensare, & contrarium iis præcipere. Nam ut de  
istis Iniquitatis Mysterii nullo modo dubites, amice Lector, innume-  
ra sunt Pontificiorum Doctorum testimonia, quæ illam horrendam  
& blasphemam doctrinam sine velo & pleno meridie inculcant, no-  
minatim Jesuitæ Gnathones Papæ. Pauca lubet in tui gratiam afferte.  
Non adhærebimus jam illis testimoniis, quæ impudentiâ horribili as-  
serunt S. Scripturam non esse normam fidei; sed fidem Ecclesiæ po-  
tius esse Regulam Scripturarum. Ita quippe expressè loquitur Staple-  
tonus lib. II. de authoritate Scripturae, cap. II. Dixi, & dico non tam

A 2  
ipsius



4

*ipsius fidei regulam in se esse Scripturam, quam ipsarum Scripturarum Regulam, esse fidem Ecclesie. O tempora, o mores!*

Sed omittis ut dixi ejusmodi testimoniis lubet Tibi Lector amice, afferre quædam demum specimina blasphemiarum illarum & moliminum illorum horribilium, quibus conantur Ecclesiam, id est Papam, ita supra Verbum Dei, sive supra Deum constituere, ut pro lubitu de Verbo & Voluntate Dei, dispensare & quicquid voluerit immutare possit. Afferemus impræsentiarum ea demum, quæ per futuram collegit Doctor Steinbergius in *Decadibus Controversiarum*, scilicet Decade V. quæst. III. ubi pag. 117. Exempla ad hanc rem memorabilia adducit.

V. G. Concilium Tridentinum audet Apostolo Concupiscentiam peccatum appellanti expressam satis mendacii dicam impingere, hisce formalibus verbis *Sess. V. can. ult. Hanc Concupiscentiam quam aliquando Apostolus vocat peccatum, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari.* II. Concilium Constantiense postquam agnovit *Sess. III.* Christum instituisse Communionem S. Eucharistiæ sub duplici specie, subjicit tamen quod quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraq; Panis & Vini specie suscipere, & insuper anathematizat tanquam hereticos, & puniendos per *Diaconos Locorum seu Officiales eorum aut inquisitores hereticæ pravitatis*, qui contrarium statuunt: idem est ac si dixisset, Christum ut hæreticum puniendum & Inquisitoribus tradendum. III. Concilium Basileense *Sess. XXX.* disertè sic loquitur: *Hac Sancta Synodus decernit & declarat quod fideles, Laici, sive Clerici, communicantes & non conficientes NON ASTRINGUNTUR ex PRÆCEPTO DOMINI ad suscipiendū sub utraq; specie Panis scilicet & Vini sacrum Eucharistiæ Sacramentum; Sed Ecclesia quæ regitur spiritu Veritatis &c. ordinare habet quomodo ipsis non conficientibus modè istretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti & saluti fidelium videret expedire.* Eoque. IV. Perronus Cardinalis, Libro illo Gallico quem adversus Regem Magnæ Britannia scripsit, caput integrum habet *lib. II. Observat. III. cap. III. pag. 674.* cujus lemma est *De autoritate Ecclesie in immutatione rerum in Scriptura contentarum* & libro ultimo pag. 115. In exemplum adducit istud mandatum *Bibite ex eo omnes: ac ibi-*



ac ibidem tueri vult hoc *Præceptum non esse vel immutabile vel indi-  
pensabile, & Ecclesiam judicasse, posse de illo dispensari.* Porro ex hoc eo-  
dem principio, in Oratione illa quam in pleno Parlamenti Confessu  
habuit olim Parisiis, & typis evulgavit, disertè asserit & tuetur Præce-  
ptum illud Rom. XIII. I. traditum, *de omnibus animabus sive hominibus*  
(ac proinde etiam Clericis) *potestatibus Superioribus subjectis sive sub-  
jiciendis, fuisse solummodò provisionale & ad tempus.* V. Sed memora-  
bile videtur, præ cæteris illud molimen Ecclesiæ Romanæ de refor-  
mandis Epistolis Paulinis, cujus meminit *Edwinus Sandis* in libello cui  
titulum *Relationem Religionis*, fecit. Is cap. XXVI. memorat non modò  
Jesuitas in suis publicis prædicationibus & Colloquiis privatis ita Pe-  
trum supra Paulum extollere ut hunc dicant fuisse *hominem indolis im-  
petiginosæ & sui in disputando impotentis, sed & Lætionem ejus periculo-  
sissimam, utpote ad Heresim vergentem*: Ita ut addat se à Catholicis Ro-  
manis fide dignis, accepisse, *diu jam consultatum fuisse inter ipsos Ponti-  
ficios de CENSURA NOTANDIS & REFORMANDIS EPISTOLIS D.  
PAULI. IV.* Et sanè in Decretal. De Concess. Præbend. Tit. VIII. Can.  
*Præposuit*, Innocentius III. ita loquitur, *Secundum plenitudinem pote-  
statis de iure supra jus possumus dispensare*: Ibi verò Glossa sic interpre-  
tatur verba illa *NAM CONTRA APOSTOLUM DISPENSAT PAPA, Item  
CONTRA VETUS TESTAMENTUM, Item IN VOTO, Item IN IURA-  
MENTO.* Experientia pro dolor id omne innumeris exemplis quoti-  
die confirmat; Ut & in matrimonialibus casibus, ubi Divortia appro-  
bat, improbatque Papa pro lubitu; De Gradibus in Lege divina pro-  
hibitis etiam proximis dispensat, matrimonium non modò cum dua-  
bus sororibus, sed & inter fratres & sorores indulget aut indulgere se  
posse jactat.

Quid etiam liquidius Dispensationem illam sacrilegam Iuris Di-  
vini manifestat, quàm abominabilis ille Cancellariæ Apostolicæ Liber,  
ubi *Taxa Dispensationum*, uti barbarè loquuntur, reperitur. Inter alias  
multas grossorum i. e. aliquot paucorum nummorum pro absolutio-  
ne à summis & enormibus Criminibus hæ quoque reperiuntur. *Abso-  
lutio pro eo, qui Matrem, Sororem &c. carnaliter cognovit* Gross. 5.  
*Iterum, Absolutio pro eo qui occiderit Patrem vel matrem est*



*Grossorum §. aut 7. Si Clericus verò occisus fuerit homicida tenetur ipse-  
met invisere sedem Apostolicam. Ibi reperiuntur indulgentiæ, & invi-  
tationes proinde, ad Crimina & scelera in futurum perpetranda sub  
conditione solvendæ alicujus mulctæ, Ita scil. Licentia retinendi aut re-  
cipiendi de malè ablati ad dictam summam Gross. 50. Iterum Litera quæ  
quis participare potest cum excommunicatis & hæreticis Gross. 8.*

Ita nempe patet hæc omnia confirmare Bellarmini assertionem  
illam horrendam, cujus alibi jam meminimus ex lib. IV. c. V. De Pon-  
tif. *Si Papa erraret præcipiendo Vitia vel prohibendo Virtutes, TENERE-  
TUR ECCLESIA CREDERE VITIA ESSE BONA, ET VIRTUTES MALAS,  
NISI VELLE CONTRA CONSCIENCIAM PECCARE.*

Hinc fit etiam ut S. SCRIPTURA Pedibus Papæ subjiciatur in Con-  
ciliis Pontificiis ut nominatim videre est praxi usurpatum Concilii La-  
teranensis *Sess. I. Officiales Ad PEDES SANCTISSIMI DOMINI Nostri,  
tactis Sacrosanctis Scripturis præstiterunt corporale juramentum.* Ille ve-  
rò SANCTISSIMUS DOMINUS noster, erat in illo Concilio Papa JULIUS  
II. quem LUDOVICUS XII. Rex Galliarum, Princeps optimus, prælio fudit,  
se & Galliam totam à diro & tyrannico Interdicto liberaturus, ac eo  
tempore nummos sive Coronatos cudi curavit hæc Inscriptione, PER-  
DAM BABYLONIS NOMEN.

Porro, tertio, attende Lector, quàm absurdum sit *Judicem Exter-*  
*num*, in decidendis fidei Controversiis Supremum & infallibilem velle  
constituere; cum nullus omninò excogitari possit hodiè talis. De Papa  
enim Romano, quem Jesuitæ nobis volunt obtrudere notissima sunt  
sequentia: Scil. primo Communior ipsorummet Pontificiorum opinio  
est Papam non gaudere privilegio infallibilitatis: Refutent Jesuitæ Sor-  
bonistas & alios è præcipuis Pontificiorum Doctoribus, qui abunde  
fallibilitatem & errores gravissimos Pontificum Hæreticorum toti  
Orbi revelarunt. Dein 2. Quomodo quæso Papa Romanus juratus  
noster hostis nobis dabitur in iudicem? An in propriam suam causam, ubi  
quæritur, an ipse sit infallibilis, & an sit Antichristus, iudex noster erit?  
An ipsius Decretis & beneplacitis tenebimur acquiescere? An ille  
erit iudex supra Scripturam qui agnoscere tenetur S. Scripturam pro  
suo iudice quando disertè probare solet, aut potius conatur, se esse in-  
infallibilem, quia Scriptura de ipso dixerit Matth. XVI. *Tu es Petrus, &*  
*super*



7  
*super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam?* Sed 3. potissimum, An tenebimur credere quòd ne quidem omnes Pontificii credunt, Papam esse infallibilem? Imò, uno verbo, Quomodo Papa erit infallibilis Iudex, siquidem nō nihil facilius probatu quàm varios Pontifices non modò errasse, sed & fuisse Hæreticos. Frustra excipitur errasse ut homines & Doctores particulares, non ut Papas. Nam ut omittam quòd in cerebro & intellectu Papæ non sint duæ distinctæ cognitiones, altera Papæ, altera hominis privati, quærimus an credibile sit Papam adeò diabolicâ fore malitiâ ut cum errare non possit tanquam Papa seipsum non interroget & consulat tanquam Papam quòd sic in errorem nullum incidat? Sed quid opus multis; constat eos errasse, & hæreticos fuisse in docendo & controversias papali autoritate decidendo, aliorum etiam Paparum Decreta & statuta refigendo & impugnando. Constat enim ab integris & variis Conciliis, Pontifices condemnatos esse ut hæreticos. V. G. Concilium *Pisanum* anno 1411. hæreticos declaravit Gregorium XII. & Benedictum XIII. Papas eorumq; loco Alexandrum V. Pontificem substituit. Concilium *Constantiense* anno 1416. examine factò vitæ, morum & doctrinæ trium Pontificum Gregorii XII. Benedicti XIII. & Johannis XXIII. eosdem deposuit & inter eos Johannem hæreticum ac impium declaravit. Ita Concilium *Basileense* anno 1431. ab Eugenio IV. convocatum Eundem Eugenium Pontificatu abdicavit & Hæreticum pronunciavit. Eo tempore non distinguebant inter Papam ut Papam & inter Papam ut hominem. Aliàs sine dubio non abdicassent Papas sed tantum Homines. Et sic licet nullus homo occupasset sedem Papalem, suffecisset ut occuparetur à Papa quatenus Papa.

Deficeret nos & charta & tempus si ex historiis deberemus in profcenium huc adducere omnia Hæreticorum Pontificum exempla, pauca tantum eorum afferimus, qui Papali autoritate docentes & judicantes errarunt.

Adducimus præsertim eorum Paparum, qui directâ fronte inter se arietârunt, V. G. *Liberii & Felicis*, quorum uterque Arianae hæresi fuit addictus, sed sic ut interim Felix sese Liberio ab exilio reduci oppositurus, & sedem suam recuperaturus, ad orthodoxos Divinitatem Christi defendentes deflexerit & Arianae hæresi contradixerit. *Felicis III.* & *Anastasi II.*, quorum iste Photino Diacono Acaciano & Acacia-  
nis



nis adhæsit, contra quos *Felix* Antecessor ejus insurrexerat. Quæcunq; fuerit causa *Acacii*, certum est alterutrum *Paparum* errasse; aut *Felicem* in *Acacium* insurgentem, aut *Anastasium* *Acacianorum* partibus faventem. *Stephani VI.* & *Formosi*, quorum ille iltius sui scil. prædecessoris *Acta* irrita pronuntiavit. *Iohannis IX.* vice oppositâ, *Stephani Acta* irrita facientis, & *Formosi* restituentis. Denique quid manifestius quàm hæreses, *Papæ Honorii* *Monothelitæ*, nube innumerâ testium convictissimi. Vide de illâ hæresi *Forbesium Instr. Hist. Theol. lib. V. cap. X. & seqq.* *Marcellini* pariter Pontificis Romani, sacrificantis *Idolis.* *Iohannis XXIII.* de quo Concilii *Constantiensis* verba hæc sunt *Sess. XI. condemnatum fuisse ut pertinaciter dogmatizantem, & credentem animam hominis cum corpore humano mori & extinguere ad instar animalium brutorum, & dicentem mortuum non resurrecturum ultimo die.* Iterum *Gelasii*, disputantis contra Christum & asserentis peccatum in Spiritum sanctum esse remissibile. *Iohannis XII.* bibentis in sanitatem *Diaboli*, *Jovem* & *Venerem* invocantis in aleæ lusu, omnia homicidiis & adulteriis miscentis, & à *Diabolo* tandem occisi, teste *Platina*, *Sigonio*, & *Fasciculo* temporum. Expectate à sanctissimo ejusmodi Patre omni spiritu Dei destituto, infallibilia in Fide decreta, à quibus ad *S. Scripturam* non liceat provocare?

Diceturne eos pariter ut homines errasse? sed præter ea quæ jam annotavimus, quærimus *NE.* unde jam nobis constabit eos locutos esse ut homines an verò ut *Papas*, Si dicatur, quia contra Dei voluntatem & verbum pronuntiârunt, Ergò verbum Dei supremus iudex agnosceretur: Si dicatur quia contra *Ecclesiam*, Atqui *Papa* ipse est *Ecclesia*, Et *Bellarmino* teste quando dicitur *Matth. XVIII. Dic Ecclesie, idem est, ac dicat Papa sibi ipsi.*

Scio quidem *Bellarminum* conatum esse *Hæreticos* illos *Papas* in theatrum jam productos imò *XL.* numero, variis commentis & ineptis distinctiunculis ab hæresi vindicare. Sed memento quæso *Lector*, quòd ex ipsomet *Bellarmino* ejusque responsionibus hæresin ipsam istorum *Paparum* & veritatem à nobis propositam velimus tanquam potentissimis argumentis asserere. Utinam detur locus contra doctiorem & peritorem aliquem *Jesuitam*, eo penso defungi. Sed quid denique multis opus est, si quidem concedunt præstantissimi è Pontificiis posse



9  
posse ad Papatum eligi aliquem planè inhabilem v. g. fæminam. Iste sine dubio æquè possit esse hæreticus ac fœmina esse potest.

4. Memento Lector semper ab ineptis illis *Externi Iudicis* petitoribus, ut inter se conveniant, quis sit ille futurus Iudex? Dum enim fluctuant & nesciunt an Papam vel Concilium, vel Papam cum Concilio, vel Coëpiscopos cum Papâ constituent, patet illorum Religionem omni adhuc & hætenus caruisse fundamento, dum nesciunt cujus determinationi debeant acquiescere.

5. Quære, Amice Lector, ab istis Nugonibus qui toties quærunt quis erit ille qui verum sensum S. Scripturæ sit nobis præbiturus in essentialibus fidei dogmatis? quære inquam quis sensum Paparum, Conciliorum & Traditionum Romanarum, de quo non minus inter se disceptant quàm de sensu Scripturæ, sit ut Iudex Ministerialis exhibiturus? Si dicant quemlibet qui illas Traditiones legit, benè & idem dicimus de sensu Sacræ Scripturæ, quilibet qui essentialia fidei dogmata cognoscere volet, ea facile ex S. Scriptura intelliget. Si dicant Ecclesiam futuram Iudicem; sic Ecclesia erit Ecclesiæ Iudex. Priores enim Papæ, & priora Concilia erant Ecclesia: Imò in infinitum quæretur de illâ novâ Ecclesiâ, quis sit futurus ejus Iudex discretivus.

6. Quære Lector, ubi reperiatur Ecclesiæ iudicium de sensu Sacræ Scripturæ? Videmus enim quidem molem Commentatorum Pontificiorum in S. Scripturam sese mutuò instar Cadmæorum fratrum debellantium, ita ut nihil facilius sit, & nihil ordinariò, nihilque evidentius à nobis soleat fieri, quàm ut Pontificios *ad hominem*, per ipsosmet Pontificios refutemus: Vix enim duo (nisi rhapsodi & descriptores) è principibus inter eos Interpretibus, singulari Dei providentiâ in arduis & controversis locis conveniunt. Quod demonstratu erit facillimum si petat aliquis experimētum in Bibliotheca Pontificiorum authorum ritè instructâ fieri. Quære verò Lector, ubi ergò & quando Ecclesia emiserit Commentarium infallibilem aut Iudicium infallibile de sensu totius S. Scripturæ?

IV. Ex hisce omnibus itaque cùm satis pateat vana & ridicula esse, quæ de Iudice Externo scil. Ecclesiâ, (per quam nesciunt ipsi quid intelligere debeant) deblaterantur. Observa jam, Lector orthodoxiæ studiose, quomodo in superpondium possis demonstrare *Iudicem Normalem*,

B

*malem,*



*malem*, sive Supremi Iudicis vocem sufficere ad omnia essentialia dogmata dijudicanda.

*Primo*, quia *Iudex Normalis*, nihil aliud est, nisi Vox Supremi Iudicis in Scriptura loquentis. Quare ergò, à Pontificio an si audiret vocem Dei sono claro pronuntiatam à cælo vel nubibus super articulo aliquo fidei, an non vellet ei acquiescere tanquam supremo & Normali Iudici, ex quâ scilicet voce rejiceret quicquid contrarium ab hæreticis afferretur aut doceretur? Non puto tam impudentem fore Pontificium qui illam immediatam Dei ut supremi Iudicis vocem rejecturus esset, donec Ecclesiæ accederet superior autoritas. Iam verò, vocis Dei loquentis in S. Scriptura, & Dei loquentis è cælo nullo modo quoad autoritatem & conditionem judicalem differentia ulla potest constitui.

Si dicatur Vocem Supremi Iudicis in Scripturis loquentis, non esse claram vocem; vocem verò è Cælo loquentis fore claram; 1. præsupponitur hîc ordinaria & blasphema falsitas Deum voluntatem suam ad salutem nostram efficiendam obscure proposuisse. 2. Deinde saltem, in rebus claris & perspicuis debet habere S. Scriptura rationem Supremi Iudicis. 3. In rebus S. Scripturæ, quæ dicuntur obscuræ, Ecclesia non potest intervenire nisi ut Iudex *Ministerialis & secundarius*. Scripturam ex Scripturâ explicans; ita ut Scripturæ sensus manifestior redditus, sit semper vox scripturæ, non verò Ecclesiæ; nec proinde Ecclesia se aliter habeat, quàm quilibet fidelis, *judicio demum discretionis utens*.

Frustra verò pariter quærent, cur ergò tot lites & controversiæ indecisæ maneat adhuc etiam in essentialibus Articulis, cum & variis Adversariis? facilis est sponsio; Culpam penes illos obduratos & gratiâ divinâ destitutos esse, qui præjudiciis occæcati nolunt manifestissimæ veritati locum dare. Unum enim hîc lubet quærare ab illis quæstionanis Pontificiis, Quare Hæretici illi qui negant SS. Trinitatem, Deitatem filii, Incarnationem, Resurrectionem & alia fidei dogmata non acquiescant aut convinei nolint à clarissimis Scripturæ testimoniis quæ ipsimet Pontificii adhibent, ut fundamenta unica Controversiarum istarum decidendarum.

N.B. Unde *secundo*, sic inferas: Si sacra Scriptura adhibetur ab  
ipsismet



ipsismet Pontificiis tanquam supremus & unicus Iudex controversiarum variarum decidendarum adversus varios hæreticos nullâ hîc interveniente planè Ecclesiæ mentione aut præsuppositione, sequitur eam eodem planè modo esse Iudicem supremum & Normalem ac sufficientissimum Controversiarum inter nos & Pontificios decidendarum sine ope aut Interventu Ecclesiæ. Sicut enim non desinunt Pontificii Socinianos declarare abundè victos & convictos, licèt illi non velint se victos agnoscere; Ita non impedit quominus terminari possint lites inter nos & Pontificios satis victos & convictos, licèt herbam nolint porrigere, præjudiciis scilicet, & compedibus Antichristi mancipati.

Frustra & ineptius adhuc quærunt, cur ergò inter nosmetipsos durent Controversiæ? Per Dei enim gratiam tanta est in essentialibus & ad salutem necessariis dogmatibus concordia in nostris Reformatis Ecclesiis, ut nullæ nisi in problematicis & nullius momenti quæstionibus discrepantiæ aut amicæ disceptatiunculæ inter nostrates occurrant. Sed regere quæso Lector, ineptis istis quæstionariis ex adverso, Cur tot sectæ inter Pontificios non obstante bona Matre Ecclesiâ Romanâ, & quidem in Articulis Controversiis capitalibus foveantur? & indecisæ adhuc dum hodiè maneant? Quis enim ignorat Sectas & Controversias, *Sorbonæ & Jesuitarum, Dominicanorum, Franciscanorum, Molinistarum Prædeterminantium, Iansenitarum & Anti Iansenitarum.* Ubi manet infallibilitas Domini Papæ, cur ei unice non adhærent? Cur Papa NB. in dijudicatione istarum Controversiarum Doctores alios adhibet, dum scilicet ne latinè quidem sapè, multò minus in Theologicis materiis peritus est? Cur tot & tam proluxa in se invicem scribunt & cudunt volumina, dum uno verbo posset dicere Dominus Papa, *Tu es pars Petrix, & Tu es pars Victa?*

Non est tantopere mirandum si multi refractarii quales sunt Pontificii & Papæ Ministri claræ Supremi Iudicis in Scripturâ loquentis voci nolint sese subicere. Eodem enim planè modo debent mirari Pontificii cur Sociniani & Iudæi in quorum Controversiis decidendis unico Dei Verbo utuntur ipsimet Pontificii, nolint se victos fateri? Sed hoc potius mirum est revera, Eos qui jactant se habere Iudicem Externum & infallibilem nempe Papam adhuc quotidie disputare & adversus se invicem stylum stringere acerrimum, in Capitibus primariis ipsorum fidei.

B 2

Tertio,



*Tertio*, ut asseras Lector S. Scripturam, sive Deum in S. Scripturis loquentem esse supremum Iudicem, nec Ecclesiam supra eum constituendam, quære an Scriptura suam auctoritatem arcessat ab Ecclesia, quando Apostolus & tota passim S. Scriptura testatur Ecclesiam esse *edificatam super fundamentum*, id est doctrinam *Apostolorum & Prophetarum* Eph. II. 20.

*Quarto*, quæras porrò, An Ecclesia aliquid mandet & imperet S. Scripturæ, & an non è contrario S. Scriptura passim mandet, & auctoritate supremi Iudicis imperet exertè Ecclesiæ observationem mandatorum & præscriptorum Dei? Quis ergò supremus erit Iudex an qui Imperat, an verò qui obedire debet?

*Quinto*, An Aaron aut summi olim Sacerdotes se summos & independentes à S. Scripturâ iudices agnoscebant? Vide Loca Deuter. XVII. II. ubi Sacerdotes debent docere populum *EX PRÆSTITUTO LEGIS &c.* & Malach. II. 8. ubi expressè & severissimè arguuntur, quòd seduxerint à Lege Dei populum. Vide quomodo Josua successor Moysi debeat populum Dei regere; memorabilia sanè sunt ad hanc rem verba Josu. I. vers. 7. 8.

*Sexto*, An in Principali & capitali illâ Controversiâ, an Iesus noster sit verus Messias ad alium Iudicem debemus recurrere, quàm ad Sacram Scripturam? Vide ad quem Iudicem hanc controversiam dirimentem nos amandet Christus Joh. V. v. 39. *SCRUTAMINI SCRIPTURAS, ILLÆ SUNT QUÆ TESTANTUR DE ME.*

*Septimo*, Quando D. Paulus disputabat contra Judæos qui eum non agnoscebant pro *θεοπνεύτω*, An ullibi provocarit unquã ad Ecclesiam, an verò è contrario ad Scripturas tanquam supremum Iudicem, usque & usque & innumeris vicibus non provocat? Imò an non vult probari doctrinam suam ad unicum illum Lapidem Lydium à quibusvis etiam fidelibus? Vide quæso quid faciant Beroënses Actor. XVII. 2. II. An doctrinam Pauli examinant ad Ecclesiam, an ad Scripturam?

V. Attende verò etiam quæsum, Lector, ad sublime & è penetrabilibus subtilissimæ Theologiæ depromptum acumen, quod ut audivimus, Sigenæ vibratur adversus hanc Doctoris Steinbergii propositionem, *Ad salutem efficiendam nihil aliud requiri, quàm cognoscere totam Dei voluntatem*; Contra eam instantiam hanc asserunt; *Atqui,*

*ad*



*ad salutem etiam requiri fidem & Baptismum?* Vide, Lector perite, & ride idiotarum ridiculam subtilitatem commiseratione potius quam refutatione dignam. Facile crediderimus bardum & bonum Patrem tot aliarum absurditatum & ignorantiarum convictum, hujus quoque forsan & infantilis ignorantiae parentem esse? Quicquid sit, aut idiotæ illi, aut bonus & blennus Pater discant à tyrunculis etiam in Theologia Pontificiâ. Aliquid ad salutem efficendam dici idoneum, vel sufficiens dupliciter; vel *in genere demum mediorum externorum*, vel *in genere mediorum internorum*. Id est, Tota Dei voluntas in Scripturis revelata, uti notum est tyronibus, dicitur *salutaris* vel *salutifera doctrina*, vel *sufficiens ad salutem procurandam* in genere mediorum externorum, V.G. oppositè ad Cognitionem Dei merè naturalem, quæ in genere mediorum externorum nec salutaris nec sufficiens est ad salutem procurandam hominibus, cum Christum non revelet. Solæ promissiones Evangelicæ sunt hoc respectu sufficientes ad procurandam salutem. Uno verbo; Hoc ipso sensu, dicimus *neminem posse efficere suam salutem in Ecclesiâ Romanâ*, & *posse efficere suam salutem in Ecclesiâ puriori vel Reformatâ*, quia scil. in priori verbum salutare non reperitur, in posteriori reperitur. At verò quoad interna media quibus Deus infallibiliter salutem in Electis operatur, ad illa propriè pertinent, vocatio interna, fides justificatio, sanctificatio, perseverantia in fide.

Itaque patet mentem totius syllogismi Artic. IX. ejusque Consequentiam esse apertissimam scilicet hanc

*Si verbum infallibile, quod continet totam Dei voluntatem est sufficiens ad salutem, sequitur pariter quod sit sufficiens norma decidendarum Controversiarum de dogmatibus essentialibus, & ad salutem necessariis, (De iis enim demum agitur in hac quæstione; Vide num. III. statum Controversiæ positam.)*

*Atqui verbum infallibile & continens totam Dei voluntatem est sufficiens ad salutem.* Ergò, *est etiam norma sufficiens decidendarum Controversiarum de Dogmatibus ad salutem necessariis.*

Si Consequentia à bono Patre tunc negata fuisset, facile allata fuisset à Doctore Steinbergio probatio illius, Quia scilicet, Verbum

A 3 quod





quod Controversias de dogmatis ad salutem necessariis non posset decidere, non esset sufficiens ad salutem.

VI. Nota quæso & memento Lector, ad istam Propositionem, Doctoris Steinbergii, *Non potest dari tertium requisitum necessarium ad salutem efficiendam præter verbum infallibile, quod contineat totam Dei voluntatem*, in genere scilicet mediorum externorum uti tyrunculis notum; Nota inquam, quod licet jam bonus Pater posset aliquid tertium excogitare, quod in æternum non fiet, nihil tamen jam illo tertio posse juvari. Non modo quia tunc in Colloquio habito & exhibito, nec fidei nec baptismi meminit, sed potissimum quia NB. negavit simpliciter minorem, & postea, ad probationem istius minoris unice exigebat, ut probaretur *Verbum Dei continere totam Dei voluntatem*, vide num. XI. In quo misero & evidenti effugio ostendimus jam bonum Patrem tanquam ad incitas propudiosè redactum captum, in luto fœtidè, & cum de ridiculo omnium hæere.

VII. Non putamus Lectorem orthodoxum, tantisper in fundamentis Controversiarum Religionis versatum opus habere præmonitione, aut præmunitione ad ineptam instantiam vel exprobrationem quæ se Pontificii opponunt Divo Paulo asserenti *se omne Dei Consilium fidelibus revelasse vel annuntiasse*, Act. XX. dum scilicet non explicant, aut solvunt objectionem, sed directâ fronte objiciunt non verum esse *omne Dei consilium salutare*, à Paulo revelatum & annuntiatum, quia aliàs reliqui Scriptores tam Veteris quàm Novi Testamenti nihil hoc pacto annuntiasent de illo Dei Consilio salutari; Et sic in solo D. Paulo tota Dei voluntas reperiretur; Id quod putant esse absurdum.

Quia verò objiciunt contra D. Paulum, respondeat ipsis Paulus immediatè. Prout etiam facit disertissimè Act. XXVI. ubi testatur *se nihil dixisse nisi quod jam à Mose & Prophetis prius dictum fuerat*. Uno verbo, totum Dei Consilium ad salutem necessarium reperiri facile potest in scriptis D. Pauli; prout etiam ante Paulum, & ante Scriptores Novi Testamenti reperiebatur in Prophetis & in Mose. Imò in solo Pentateucho habuit olim Ecclesia totam Dei voluntatem. Notissimum est illud Veterum Ecclesie Doctorum, *Novum Testa-*

*mentum*



H

*mentum ita fuisse velatum in Veteri, prout verum revelatum fuit in Novo.*

Sicumignaris & tyronibus excipias Novi ergò Testamenti Scriptores esse inutiles & superfluos, si eorum doctrina jam continebatur in Veteri Testamento; facillima & præstò est responsio ab innumeris usibus qui à Lucidiori Evangelii & voluntatis divinæ explicatione, à variis Scriptoribus ejusdem Spiritus S. totidem calamis suppeditatâ, emergunt. Sicut enim Prophetæ fuerunt solummodò diffusiores & clariore Mosis Interpretes in Lege & voluntate Dei salutari illustrandâ, Ita & Scriptores Novi Testamenti, qui nihil extra Mosen & Prophetas ad salutem necessarium tradiderunt, sunt Interpretes Prophetarum V. Testamenti loculentiores.

**DENIQUE**, memento Benevole Lector, Te ex fundamentis hisce hætenus hîc positis, posse abunde satisfacere omnibus responsionibus & scriptionibus quos porrò Jesuitæ alii Colophonium sine dubio auxilium bono Conrado Reidt æquè latinitate ac Theologiâ mutuatitiâ egente suppeditaturi, poterunt in publicum emittere. Protestatur itaque Doctor Steinbergius sibi non licere pretiosi sui temporis adeò prodigo, & in publica commoda, quibus ex spartâ suâ officio desudare debet, injurio esse, ut diu vili luto ludat, id est, ferram contentionis reciprocetur cum bono & imperitissimo priori Mirmillone *Conrado*.

Si Coloniâ, ut audimus, aliquis exurgat Validior Hyperaspistes, qui Pergama Romanæ Ecclesiæ ruinosâ dextrâ, id est, majori dexteritate & eruditionis tum Theologicæ tum Philosophicæ munimine auri & fulcire sustineat, reperiet Doctorem Steinbergium domi,

Et cantare parem & respondere paratum.









153042

ULB Halle

3

007 107 749




R


W.M.











2

VERA ET SINCERA  
ENARRATIO

*Gestorum & Dictatorum, in nu-  
perâ Concertatione*

JUSSU CELSISSIMI ET  
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS  
**JOHANNIS FRANCISCI,**  
NASSOVIAE PRINCIPIS, &c.

Inter Doctorem STEINBERGIUM, & Patrem  
CONRADUM REIDT, Jesuitam, Colle-  
gii Sigenensis Rectorem, habitâ, de  
judice Controversiarum

Vice APOLOGIÆ

*Ad confutationem impudentissimarum, id est, Jesuitarum artium,  
& thraasonismorum Satyricorum è publico suggestu aequè ac clan-  
culariis & infamibus chartulis, in Doctorem Steinbergium con-  
jectorum.*

*Accedit ad calcem brevis & solida istius Controversie E-  
nucleatio, tam ad ruinosum totius Religionis Papalis  
fundamentum ritè oculis omnium exponendum, quàm  
ad occurrendum omnibus Responsionibus, effugiis & so-  
phismatibus Adversariorum.*

Edente

NICOLAO RIVIO BELGA

Nomine Reliquorum omnium Doctoris STEIN-  
BERGII discipulorum.

---

ALETHOPOLI

Typis EUSEBII VERINI, Typographi.